



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm  
Tomvs ...**

**Łęczycki, Mikołaj**

**Antverpiae, 1650**

Opvscvlvm Octavvm. De natura & gradibus humilitatis, & de confusione  
nostri ob Dei amorem quærendâ, libris duobus comprehensum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78809](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78809)

# N I C O L A I L A N C I C I I

## S O C I E T A T E I E S V O P V S C V L V M S P I R I T V A L E

### O C T A V V M,

De naturâ & gradibus humilitatis, & de confusione nostri ob Deum  
morem querendâ, libris duobus comprehensum.

## I N D E X C A P I T V M

### L I B R I P R I M I

**D**E nomine, & natura humilitatis. CAP. I.  
Cur S. Ignatius & Societas primo loco  
commendat suis profectum in Humili-  
tate. CAP. II.  
De primo gradu Humilitatis. CAP. III.  
Explicatur causa qua persuadet Humili-  
tate, ut se omnibus aliis peiorem existimet.  
CAP. IV.  
Proponuntur varij actus & motiva per  
qua crescit habitus Humilitatis.  
CAP. V.  
An cognitio Dei donorum in se repugnet  
Humilitati, & sit vitanda. CAP. VI.  
De secundo gradu Humilitatis. CAP. VII.  
De tertio gradu Humilitatis. CAP. VIII.  
De quarto gradu Humilitatis. CAP. IX.  
An manifestatio Dei donorum, sit contra-  
ria Humilitati in manifestate. CAP. X.  
De quinto gradu Humilitatis. CAP. XI.  
De sexto gradu Humilitatis. CAP. XII.

De septimo gradu Humilitatis. CAP. XIII.  
CAPITA LIBRI SECVNDI.  
**D**E modis querenda confusionis. CAP. I.  
De utilitate confusionum pro Deo  
susceptarum. CAP. II.  
Exemplis ostenditur quam sint grata Deo  
nostri confusiones. CAP. III.  
Alia exempla confusionis Sanctorum.  
CAP. IV.  
Quas ob causas tantopere placeat Deo no-  
stri confusio. CAP. V.  
De moderatione in confusionibus queren-  
dis adhibenda. CAP. VI.  
De silentio in confusionibus ex accusatione  
ortis seruando. CAP. VII.  
De ferenda aequo animo nostri accusatione  
ex confusionis desiderio. CAP. VIII.  
Motiva ad ferendas aequo animo nostri ac-  
cusationes, & nostra confusionis amo-  
res. CAP. IX.

Index rerum præcipuarum huius Opusculi ordine alphabeti extat  
in fine totius operis.

### L I B E R P R I M V S.

**V**T cognoscamus quid nobis ne-  
cessarium sit, ut humiles simus,  
Deoque ob humilitatem valde  
placeamus, & per illam, ac eum  
illâ eximias virtutes acquiramus,  
agendum est de ipsâ humilitate, in quo sita sit,  
& quid ad eam requiratur, qui sint eius gra-

dius, qui actus, qui effectus, quæ conditiones,  
quæ signa. Quæ quidem, etsi ab aliis præclare  
tractata sint, præsertim à Nostris, Alvarez de  
Paz, & Alphonso Rodriguez, & Ludouico Ri-  
cheomo, tamen non transferendo ab illis tra-  
dita, nos quoque aliquid adferemus in mediû,  
studiosis vitæ spiritualis profuturum, ab aliis  
præ-

prætermisum, vel alio modo tractatum, & primo quidem de Humilitatis nomine dicendum est aliquod.

## CAPVT PRIMVM.

## De nomine &amp; naturâ Humilitatis.

1. **Q**uoad nomen Humilitatis Latinum, hoc videtur derivatum ab humo, eo quod, ut S. Anselmus in c. 2. Ephes. ait, *Humilis dicitur, quasi humi alius*. Et S. Hieronymus l. 10. Etymol. *Humilis, quasi humi acclivis*, id est, imis inhærens. Nomen autem Græcum, nostro Latino correspondens, est in Scripturâ *ταπεινωσις*, quæ vox aliquando accipitur pro abiectione & vili conditione, seu depressione & parvitate: & in Novo Testamento quærit tantum reperitur. Luc. 14. 8. Act. 8. 33. Philip. 3. 21. Iacobi. 1. 10. Aliquando verò pro afflictione, seu pro tribulatione, vix pro virtute animi, opposita elationi. At virtus Humilitatis opposita superbiæ, frequentissime in Scripturâ vocatur *ταπεινωσις* & tantum septies legitur in Novo Testamento. Act. 20. 19. Eph. 4. 2. Philip. 2. 3. Colos. 2. 18. & 28. & c. 3. 12. 1. Pet. 5. 5.

2. **Q**uoad naturam Humilitatis & descriptionem, prout est virtus animi opposita superbiæ, variè describitur à Sanctis, ut plurimum per actus & effectus illius. Porro benè dicebat B. Laurentius Iustinianus c. 9. *Vita, neminem benè scire quid esset Humilitas, nisi qui à Deo accepisset, ut esset humilis*. In nullo enim tam falli homines, quam in verâ humilitate cognoscendâ. A Sanctis ergo, qui verè fuerunt humiles, quid ea sit, discendum est. Mhi omnium maximè placet descriptio tradita à S. Bernardo in tract. de grad. Humil. & à B. Laurentio Iustiniano tractat. de humil. c. 1. in Ligno vitæ: *Humilitas est virtus, quâ homo verisimilâ sui cognitione sibi ipsi vilescit*. Porro, ut ait S. Thomas 2. 2. q. 151. *essentialiter consistit in appetitu*. (a. 2.) *secundum quod aliquis dirigit, moderatur, & refrænat impetum animi sui, ne inordinatè tendat supra se in magna & excelsa*. (a. 1. corp. & ad 3. & a. 2. corp.) *& considerans suum defectum, teneat se in infimâ*. (a. 1. ad 1.) *per laudabilem deiectionem in ima*. *secundum interiorem electionem motumq; animæ*. (a. 1. ad 2.) *præcipuè respiciens subiectionem hominis ad Deum* (a. 1. ad 5. in corp. & ad 1.) *Totius enim humilitatis summa, inquit, S. Bernardus de triplici subiectione nostræ voluntatis ad Diuinam, in eo videtur consistere, si voluntas nostrâ Diuinâ subiecta sit voluntati, propter quem etiam humiliatâ aliis se subiecit*. (a. 1. ad 5.) *inactantiam reprimit*, (a. 2. ad 4.) *& expellit superbiam, cui Deus resistit, & præbet hominem parvulum ad suscipiendum influxum Diuinæ gratiæ, in quantum euacuat inflammationem superbiæ*. (a. 5. ad 2.) *eius est proprium contemnere sublimitatem terrenam*. (a. 5. ad 3.) *illa est quasi quedam dispositio ad liberum accessum hominis in spiritualia & diuina*

bona. (a. 5. ad 4.) *Quoniam verò humilitas, reprimit motum spei, qui est motus spiritus in magna tendentiâ, idè est pars temperantia & modestia: cuius est refrænare vel reprimitere, motum alicuius passionis* (a. 4. in corp.) *Atque ita his omnibus consideratis, ita describi potest humilitas, quæ hominibus convenit, prout descripta est à S. Ignatio Nostro in quadam apparitione factâ B. M. Magdalene de Pazzi infra positâ ante finem capitis secundi: Humilitas, inquit, non est aliud quam continua cognitio sui non esse, & continuum gaudium, in omnibus illis rebus quæ possunt inducere ad sui contemptum*. Hæc S. Ignatius: *Vel si ita describitur: Humilitas est virtus, per quam homo, suam conditionem cognoscens, amat sui vilipensionem, & ex hoc amat ordinatè, & libenter, & promptè Deo se subiecit, & omnibus præter Deum*. Talis descriptio est sufficiens, continet enim & genus, quod est virtus, & differentiam, per quam ab aliis virtutibus distinguitur, & convenit etiam illi Humilitati, quæ fuit in Christi humanitate, & quæ fuit etiam in Beatissimâ Virgine. Nam Christus, etsi esset Deus, qui per Diuinitatem non potuit se vili subiectione, tamen ratione Humanitatis, agnoscens etiam suam humanitatem ex se nil fuisse, & à Deo infinito modo distantem in perfectione, Deo se subiecit, & hominibus propter eum; maiore subiectione quam possit esse nostra, quia quod persona est dignior quæ se subiecit, eo est maior subiectio. Persona autem Christi fuit persona Diuina verbi, nostrâ humanitate velata. Idè Apostolus Philip. 2. 3. postquam hortatus est ad fugam inanis gloriæ, & ad amorem humilitatis, & ut superiores sibi inuicem arbitrentur alios, subdit v. 6. 7. 8. *Christi exemplum, eo nos excitans: Qui cum in forma Dei esset, & æqualis Deo, semetipsum exinaniuit formam, seruis accipiens, in similitudine hominum factus, & habitu inuentus ut homo*. Humiliauit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortè autem crucis. Et cum totâ vitâ suâ edidisset ex epla insignia humilitatis & sui vilipensionis, à se vltro demonstratâ, & ab aliis illatâ, meritò dixit Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*. Cum ergo in humilitate essentialiter includatur amor subiectionis, respectu Dei & hominum, & vilipensionis nostræ, ex hoc amore & appetitu vilipensionis sequuntur illi effectus, quos Sancti vocant gradus Humilitatis, nobis peccatoribus conuenientes, de quibus paulò post tractandum est.

## CAPVT SECVNDVM.

*Cur S. Ignatius, & Societas, primo loco Patribus Tertij anni commendat profectum in Humilitate.*

**S**ex causæ adferri possunt, ob quas S. P. N. Ignatius primo loco Patribus tertij anni commenda-

mendat profectum in Humilitate. si par. Confl. c.2. §. 1.   
 4. Prima est Quia in homine, Christi verâ fide imbuto, fundamentum omnium virtutum & radix earum, & omnium actionum bonarum, quæ ex virtutibus procedunt, est Humilitas.   
 5. Fundamentum sanctitatis, inquit S. Cyprianus de Christi Natiuitate, semper fuit humilitas. B. Laurentius Iulianus de triumphali Christi agone c.3. Prudens inquit, quisque archiitectus colapsi edificij structuram erigere ac restaurare disponens, semper a fundamentis opere sumit exordium. rationabiliter q. Nihil enim nisi supposito fundamento superedificari potest. Quamobrem Dominus Iesus, humani generis ruinam reformare volens, virtutum fundamenta summo studio per seipsum collocare curauit. Ceterarum siquidem virtutum fundamentum impuribile, nulliq; labefactandum impulsu, humilitatem dixerim. Sicut mundus, tenet aduersarius, repugnet caro, humilitas semper secuta est. Non habet quod amittat, neque quo doleat, in sui secreto cubicali intrepida requiescenti bono fruitur suo. Quomodo autem sit fundamentum spiritualis edificij, explicat S. Thom. 2.2. q.161. a. 5. ad 2. Cum ergo finis tertij anni sit acquirete perfectionem vitæ spiritualis conspiciam, & perfectio hæc, nil aliud sit, quam sanctitas, vitæ, ut suo loco explicabo, meritò S. P. N. primo loco profectum in humilitate Patribas tertij anni commendauit, tanquam fundamentum sanctitatis. Est enim fundamentum nõ qualecunque, sed, ut dixit Ioannes Abbas, apud Pallad. Hist. Laus. c. 45. Fundamentum primum omnium virtutum. Eo ferè modo, quo Philosophi docent, materiam primam, esse fundamentum primum omnium accidentium, quantitatem verò fundamentum secundum eorum. Et quidem fundamentum hoc virtutum omnium & sanctitatis, superat fundamenta omnia quorumuis edificiorum: quæ etsi sustentent ædificia, tamen ea per se, & in se sunt sterilia, nil producenti. At humilitas est fundamentum secundum, producens fructus virtutum; quia, ut ait S. Bernardus l. 5. de Consid. ad Eug. in fine c. in ea omne edificium spirituale constructum, crescit in templum sanctum in Domino. & quidem tali incremento, quod ob abundantiam indeficientem humoris nunquam deficit, quia simul est fons, origo, & radix, ex qua crescunt omnia bona virtutum.   
 6. Nihil, inquit S. Chrysof. hom. 30. in Acta, conferendum humilitatis virtuti: ipsa enim mater est, (si mater, ergo generat) ac radix, & alitrix. & sulcimentum, & vinculum bonorum. Pondera singula.   
 7. Hinc S. Dorotheus ser. 1. sicut superbia est radix & causa omnium malorum, ita humilitas, est medicina bonorum omnium: & in qua est posita omni lætitia, & omnis gloria, & omnis requies. Extat apud S. Briggittam l. 2. Reu. c. 11. pulchra reuelatio, de quodam piè mortuo, quomodo anima eius à Sanctissimâ Trinitate, & à quinque legionibus Angelorum occurrentibus excepta fuit, à quibus va-

ritæ eius virtutes, presentabantur. Deo, inter alias, à quattuor legionibus vox talis audita est: *Venite & ostendamus Deo nostro equum suum: id est, regnum monium perhibeamus humilitatis eius.* Sicut enim equus fert corpus hominis, sic humilitas eius, precedens eum & subsequens, ad omne bonum opus ferebat eum.   
 8. Sed inter alia bona est radix ipsius charitatis, quæ est essentia perfectionis. Et ita Deus Patet S. Catharina Senensi in Dial. c. 4. ait: *Humilitas est præcipua nutrix & baidia charitatis.* Ideo & Christus Dominus in Reg. S. Brigittæ c. 2. proprio ore dicitur, sic loquitur: *Principium huius religionis & salutis est vera humilitas* &c. & in caeuca extrau. c. 1. monet Confessor tuus paucioribus verbis exponat gradus Humilitatis, quos didicit in regulâ Benedicti mei, ut discant Filie matris mee (scilicet Moniales eius) principium virtutum, in quo stabiliant ædificia sua construenda.   
 9. Cassianus: *Si edificij nostri fastigia perfecta volumus, ac placentia Deo consurgere, fundamenta eius non secundum nostram libidinem voluntatem, sed secundum districtiõis Euangelicæ disciplinam iacere festinemus: quæ alia esse non possunt quam timor Dei, atque humilitas, quæ de mansuetudine & cordis simplicitate descendit.* Et c. 32. *Nulla modo poterit in animâ nostrâ virtutum structura consurgere, nisi prius iacta fuerint vera humilitatis in corde nostro fundamenta, quæ firmissimè collocata perfectionis & charitatis culmen valeant sustinere.* Quomodo sit fundamentum Humilitatis, vide S. Thomam 2.2. q. 161. a. 5. ad 2.   
 10. Et S. Chrysof. Magister Cassiani: *Bonus operibus nostris humilitatem quasi fundamentum & basim substruamus, ut secure virtutes superexstruere valeamus.* Virtus enim non est, nisi coniunctam habeat humilitatem. *Qui hoc fundamentum rectè iecerit, poterit in quantum voluerit altitudinem structuram excitare.*   
 11. Hac maxima est munio, hæc murus inconcussus, hæc inexpugnabilis turris, hæc omne continet edificium, non sinens ipsum, vel à ventorum violentiâ, vel ab imbrum impetu delicti, sed omnibus insidiis, inaccessum facit & iniuctum, quasi ex adamante constructum esset.   
 12. Magna, nobis Diuina largitatis retributiones affert. E contrario hoc fundamentum si nutes, scribit S. Bernardus ad Eugenium Papam, illa virtutum aggregatio, non nisi ruina est.   
 13. Secunda causa, ob quam S. P. N. Ignatius, meritò posuit primo loco profectum in humilitate, est, quia in Probationibus tertij anni, vti & in exercitationibus omnibus solidis vitæ religiose, multa certamina subeunda sunt, cum carne, amore proprio, mundo, demone, humanis respectibus, repugnantis, corruptæ naturæ & malis habitibus vitia, ut vitia, ex his rebus pulolantia, aboleantur. Atqui, ut ait Cassianus l. 6. de Inst. cœnob. c. 5. *Sine humilitate, nullus penitus vitij poterit triumphus acquiri.* Humilitas enim est præcipua expugnatrix vitiorum. *Virtus humilitatis, inquit S. Gregorius l. 8. mor. c. 36. omne vitium eneruat.* Imò & omnes technas diaboli, quibus plena sunt omnia. Scito, ait Spiritus sanctus Eccli. 9.



cl. 9. 20. quod in medio laqueorum ingrediens. Et S. Ambrosius l. 4. in Lucam. Multi laquei, quocumque ingrediuntur. Laquei in corpore, laquei in lege, laquei in pinnis templorum, in crepidinibus parietum, tenduntur a diabolo, laquei in philosophia, laquei in cupiditatibus, laqueus in pecunia, laqueus in religione, laqueus in studio castitatis. Et S. Paulinus Ep. 2. Tota huius mundi figura & abulicis praeceptis rebus est. Et quod peius est, heretiam sine laqueis, ut ait Seneca Ep. 97. Non primum tantum est iter ad vitia, sed praecepta. Hinc cum S. Antonius vidisset totum mundum plenum diaboli laqueis, & nesciret quomodo eos evadere possent homines, audiunt divinitus: Humilitate, ut scribit S. Athanasius in vita S. Antonij. Unde & S. Ephrem dans praecipua de recta vivendiratione, in Opusculo haec de re, magis quam quicquam aliud commendat humilitatem, & inter alia eius bona ponit: Humilitatem amplectere, & diaboli rebus nunquam capere. Gaudium dicitur: levisimum enim humilitatis alio sublatum, velocius ac sublimius existes, quam ut ab eo capi possit. Et in hoc S. Ephrem sensu potest illud Christi dictum intelligi: Luc. 14. Omnis qui se humiliat exaltabitur. Scilicet ut diaboli retia evadat sublatum in aliam, & ipsum eorum fastigio attingens. Quibus fundamentum recte dederit, inquit S. Chrysostomus, in Gen. poterit in quantum voluerit altitudinem, structuram exorare. Haec est inexpugnabilis turris, haec omne continet edificium non sinens ipsum, vel a ventorum violentia, vel ab imbrium imperu, vel a spirituum malevolentia, sed omnibus insidiis inaccessam facit, & inicum, quasi sic vitamante constructionem: esset, magnasque nobis divina largitatis retributiones offert. Imo alibi ait, hom. 108. & 30. in Acta: Nihil humilitate potentius, fortior est petra, adamante solidior, & in maiorem nos securitatem volocari, quam queant vel turres, vel vrbes, vel muros omnibusque diaboli machinamentis sublimior facta contingere volentibus, insuper abiles facit. Unde merito Christus Dominus dixit S. Brigittae l. 4. reuel. c. 38. Humilitate mentis & corporis penetratur calum, & vincitur diabolus superbus. Nam, ut ait B. M. Magdalena de Pazzis 4. p. vica. c. 19. Humilitas est similitudo gladii, qui defendit, & vincit omnes inimicos, & a quo fugit diabolus. Ideo humilitas semper sectanda est & factis ostendenda. Quocirca in vitis PP. di-

13. libel. 32. xii. Abbas Pastor: quia semper homo humilitatem & timorem Dei inaccessabiliter respirare debet, sicut flatum quem naribus attrahit vel emittit. Ibid. nu. 37. Dixit iterum: quia humilitas terra est, in qua Dominus sacrificium fieri delectavit. Porro ibidem, quibus Humilitas comparat victoriam, & triumphos de hostibus suis, sunt hi, qui in mundum veniunt.

17. Primus: Quia a Deo impetrat auxilia gratiae necessaria ad victoriam. Deus enim superbus resistit, humilibus autem datur gratiam. Iac. 4. 6. Et Christus dixit S. Brigittae l. 6. reuel. c. 116. Humilitas introducit Deum in cor. Imo nihil attrahit ita in animam Deum, sicut humilitas & compassio proximorum, inquit alibi Christus S. Brigittae l. 6. reuel.

cl. 65. S. Augustinus explicans ultimum Psalmi, Huiusmodi miles spiritu saluabit. Aliter est, inquit, Deus humilis est Christianus. Si vult ut altus Deus vincatur illi, ille humilis sit. Magna mysteria. Fratres: Deus super omnia est. Ergo te, & non illum tangis. Humilitas te, & ipse ad te descendit. Unde mirum non est, a S. Basilio Magno in sermone aeterno, de abdicatione rerum & renunciatione, humilitatem appellari: Virtutum omnium concentrum, quam honorum sequitur veluti quoddam examen. Et S. Basilus Se-leucia Episcopus: Quamvis fastum comprimit, tantum gratiam attrahit. Et modus amplificanda gratia, est Humilitas vis. Unde merito in hoc sensu tunc Clemente Alexandrino, Aristenes, beatitudinem dicebat esse fastum vacuitatem. Et S. P. N. Ignatius in 3. pun. 2. par. Exer. de 2. vexillis ait: per humilitatem cum paupertate, & abiectione sui, virtutes omnes statim introducit. Verissimum est enim illud dictum Thomae de Kempis: Tanto altius ad Deum ascendit, quanto profundius in se descendit. Et plus sibi ipsi vilescit. Qui autem sibi aliquid boni attribuit gratiam Dei in se venire impedit, quia gratia Spiritus sancti cor humile semper quaerit. Bene dixit haec de te quidam ex Patribus in vitis Patrum: Omnis labor monachi sine humilitate vanus est. Humilitas enim praecursor est charitatis, sicut Ioannes erat praecursor Iesu, omnes trahens ad eum, ita & humilitas trahit ad charitatem, id est ad ipsum Deum, quia Deus charitas est.

Secundus: Quia impedimenta & difficultates tollit, quae sunt, cupidus gloriae, honoris, propria voluntas, & iudicium: & suavem reddit vitam virtutis, & pugna labores, & imitationem vitae Sanctorum, & ut ait S. Doctoris serm. 3. Est medicina, ut Deo parere possimus, & salvi esse. Unde bene S. Climacus grad. 26. de dist. sic ait: Omnium ferarum venenatarum sensibilibus interperum est cervus: intellectualium vero, humilitas interfectrix est. Et Christus Dominus, dans cuidam inordinate vitentem monita per S. Brigittam l. 4. reuel. c. 97. sic ait: Obstatulum, quod gratia Spiritus sancti obstruitur, & omne bonum, quo anima fructificare debet, impeditur, est superbia mentis, & ambitio. Idem assum vitam humilitatem in mente tua, per hanc enim influit dulcedo Spiritus mei in animam tuam, & defluet terrenus cogitatio. Per hanc etiam voluntas tua, ut rota molendini, habens aquam defluentem, & transcantem erit mobilis, & perfecta ad velle meum. Et tunc incipies opera tua, tanquam grana, diiudicare. Et opera mea pro magno reputare. Quia autem est vera Humilitas, certe non curare fauores, & oblocutiones hominum, vitam meam, quae obliata & neglecta est, incedere, superflua non querere, simplicioribus te conformare. Si hanc vitam diligis, tunc sapienter tibi spiritus alia, tunc Passio mea, & via Sanctorum meorum dulcis erit menti tuae. Merito ergo S. Bernardus serm. de Conuers. ad Cler. c. 30. ait: Nihil humilibus a deum reperitur, quibus & gratia fieri auxiliium, & oblectanda deuotio lenis imperium.

Tertius modus, quo humilitas confert victoriam

riam de hostibus & triumphos, est, quia dat animam magnam contentiam & firmitatem in bono, quae repellit omnes insultus spiritualium inimicorum. Et ita Abbas Isaac Colly. c. 1. apud Cassianum tradens modos extruendae sublimissimae turtis, Evangelicae perfectionis, ait: ponenda esse fundamenta firmissima humilitatis & simplicitatis, quibus hac turtis spiritualium virtutum molitionibus extruenda; & immobiliter valeat stabiliri, & ad summa colorum fastigia, confidenter propria firmitatis, attolli. Fundamenti autem talibus innocentem quamvis passionum imbres largissimi profundantur, quamvis ei persecutionum violenti torrentes instar arictis illidentur; quamvis irruat & incumbat adversariorum spirituum saeva tempestas, non solum ruina non diruet, sed nec ipsa aliquatenus vexabit impulsio. Ve enim ait B. Laurentius Iustinianus: Humilitatem, malignorum spirituum innumerabilis exercitus, tanquam flagellum perhorrescit & fugit. Et alio in loco: Nemo antiqui hostis fallacias nisi praevia humilitate in sapientia cognoscit lumine. Ipsa splendore suo fugat tenebras tentationes degegit humana menti abdita pandit, sibi ipsi hominem cognoscibilem reddit, atque structoriam mali Angeli lucem manifestando reprehendit. Et alibi: Beati plane, veri dicendi sunt humiles, qui divinae protecci clementiae, innumeros intellectualium euadant laqueos venatorum; in huius peregrinationis itinere conuati. Passus est hoc ipse de mon Abbati Macario, cui diluculo palmarium folia portanti ad cellam suam cum decurrisset diabolus, saltem praecautus, volens eum percitere, non valebat, & exclamans dixit: Magnam a te vim patior, o Macari, quia cum tibi cupio nocere non valeo, dum quacunque tu facis, ego magis ex opere facio. Tu ieiunias inter dum, ego nullo vniquam cibo reficior. Tu saepe vigilas, me vero sopor nunquam oppressit. Sed in vna re me vinci, ipse profiteor. Cum ab eo rem ipsam B. Macarius requisisset, Humilitas tua, dixit, sola me vincit. Haec dicente inimico & extendente B. Macario manus suas ad orationem, spiritus immundus inter auras euauit. Ibi dem L. 5. libel. 15. n. 78. Rosv. p. 628. n. 78. dixit quidam Senex: quia si quis dixerit: Ignosce mihi, humilians se, comburitur demones tentatores.

18. Tertia causa, ob quam primo loco profectus in humilitate positus est, quia ad omnes occupationes tertij anni, vti & ad omnes actiones, quibus acquiritur perfectio, necessaria est specialis gratia Dei. Hanc autem maxime conciliat humilitas. Nam, vt ait S. Dauid Psal. 112. 5. Qui in altis habitat, humilia respicit in caelo & in terra. Et Sapiens Eccl. 3. 20. Humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Quod vique adeo verum est, vt S. Bernardus serm. 34. in Cant. inuit. dixerit: Cum te humiliari videris, habeto id signum, in bonum, omnino gratie propinquantis. Nam sicut ante ruinam exaltatur cor, ita ante exaltationem humiliatur. Cum ergo in Tertio anno probationis, finis eius sit acquisitio perfectionis & sanctitatis, & charitatis, quae est essentia perfectionis, magna est necessaria Dei gratia, quam humilitas con-

cedit. Quin, vt ait B. Laurentius Iustinianus l. de Casto conub. Verbi fin. Cum humilitatis virtus animam compleverit, deiecerit, liqueverit, tunc incipit dilari dilectione, irradiari veritate, repleti lumine, eleuari spiritu. Imo gratia impleri. Quale poterimus vas & receptaculum gratiae idoneum habere? inquit S. Bernardus serm. 3. in Annunt. Balsamum est purissimum & solidissimum vas requirit. Et quid tam purum, quid tam solidum, quam humilitas cordis? Merito proinde humilibus dat gratiam. Merito respexit Deus humilitatem ancilla sua. Sic & Apostoli ob humilitatem repleti sunt spiritu sancto. Quia, inquit Christus, sanctae Brigittae h. 6. reuel. c. 36. habebant humilitatem praecipuam. Et cum Maria commendaret Christo Brigittam, vt ei daret sua dona, dixit ei Christus l. 6. reuel. c. 42. qui querit sublimitate, necesse est, vt primo agat sortita, & exerceat humilia. Ideo vna sunt ei necessaria. Primum, vt habeat humilitatem, per hanc enim sublimitas obtinetur. Idque tam certo, vt S. Gregorius Papa scriptura reliquerit, l. 34. mor. c. 21. Aperiit cognoscimus, quod euidentissimum reprobatorum signum est superbia, & contra humilitas; Elektorum. Et S. Basilius serm. de abdic. ret. fin. Animi in virtute progressus, in humilitate progressus est. Hinc merito Christus Dominus, Reuel. extrau. c. 21. cum iussisset Virginem Abbatissam praefici Virginibus, subdit, vt si Virgo non fuerit inuenta apta, pro hoc officio. Hoc onus assumat vidua Hamilis, quia Deus omnia humilia exaltare dignatur. Quid enim est quod humilitas perfecta non meretur propter humilitatem (S. Mariae) factus sum ego Deus, & Dei filius, verus filius Virginis. Et sine humilitate non est via ad caelum. Ideo, vt dicitur in Vita B. M. Magdalenae de Pazzis, S. Ioannes vocatus est Christi dilectus, ob humilitatem, puritatem, & amorem; & hanc Sanctam docuit in rapto, vti ipsa famet testata est; animam, quae in se habebit perfectionem humilitatis, facillime possessoriam amorem, absque eo, quod aliud exercitium adhibeat ad eum obtinendam; Et nunquam inuenitur cor humanum plenum humilitate, quin sit plenum amore, quo anima perfecte Deo vivit, & si vnum quid cum illo per participationem. Merito ergo S. Ioannes Climacus gr. 25. ait: Quoties aliquem, vel audieris, vel videris infra paucos annos altissimam irrequietam acquiescisse, noli hunc existimare altam, quam hanc beatam celeremq; viam humilitatis pedibus ambulasse. Mirum ergo non est scripsisse S. Augustinum Ep. 56. Si queras, quae via sit ad obtinendam veritatem, quidq; primum sit in religione & disciplina Christi. Respondebo: primum est humilitas. Quid secundum? Humilitas. Quid tertium? Humilitas; & quoties interrogabis, toties hoc dicam. Sicut enim Demosthenes, in eloquentia primas, secundas, tertias &c. dedit pronuntiationi, ita eadem ego dabo Humilitati in schola Christi.

Quarta causa est, quia exercitium Humilitatis est tota vita necessarium, in omni statu & gradu, & magis, quod quis est altior & sanctior, magis.



- mirè in Societate nostrâ , ubi non est certum tempus professionis emittendâ ; & ad quam non omnes admittuntur. Ideò Christus , qui speciali modo voluit esse Magister humilitatis , & mansuetudinis sociæ humilitatis , ait Matth. 23. 12. *Discite à me , quia mitis sum & humilis corde.* Vnde loco citato S. Basilius dixit : *Se animo sive submittere , Christum est sive imitari.* Christus enim humilitate totius Redemptionis nostræ opus explevit. Tota victoria Saluatoris , inquit S. Leo Papa serm. 7. de Epiph. *quâ & diabolum superavit & mundum , humilitate est concepta , humilitate est confecta.* Ideoque monet idem S. Papa , vt tota vita eam exerceamus. Vnde tota dilectissimi Christiani Sapientie disciplina , in verâ & voluntariâ humilitate consistit , quam Dominus Iesum ab utero Matris , vsque ad supplicium crucis , pro omni fortitudine & elegit & docuit. Dicit , ab utero ; Quia cum Christus haberet vsum perfectissimum rationis ab instanti conceptionis suæ , & locum illam adeò vilem naturaliter , elegerit more aliorum infantium , qui eum non sentiant , maximam offendit humilitatem ; quod Ecclesia merito prædicat in suo Hymno : *Tu ad liberandum suscepturus hominem , non horruisti Virginis uterum.* Imò vt S. Gregorius 1. 3. 4. mor. c. 18. ait , *Tanta est humilitatis virtus , propter quam solam veraciter edocentiam , is qui sine estimatione magnus est , vsque ad Passionem factus est parvus.* Cum ergo totâ vitâ occurrant occasiones humilitatis , bene fundare nos in eâ debemus , & primo loco eam sectari. Et quamuis nullæ se occasiones humilitationis offerrent , quod quis est altior , eò debet esse humilior. Hæc est enim Dei voluntas , indicata nobis Eccle. 3. 20. *Quantò magnus es , humiliata te in omnibus.* Vnde S. Basilius citatus loco eodem ait : *Quantò ad maiores Sacerdotum gradus accedere tibi propinquius contingerit , eò animos tuos magis demittito.* Sed peculiari ratione Societatis hominibus necessaria est humilitas , tum ne speciosa quæ obeunt munia , eos inflent ; tum vt aditum faciliorem habeant ad eos , quibus spiritualia auxilia impendere debet. Ideò P. Petrus Faber , hunc ex humilitatis studio fructum referebat , vt ei omne hominum genus adungeret : *& omnes aditus ad principes viros , amplissimosq. Presules aperiret ; & apud omnes gentes , quocumque pergeret , summa , mediâ , infimâ , amabilem simul admirabilemq. eum redderet.* Hæc in eodem effecit , vt nunquam sui ipsius eum vlla instaret opinio , tot licet bonis & Dei donis ornatum , nulla extulerint litera , nulla hominum admiratio inaniter excitaret. Vt de eo scribit in eius vitâ Nicolaus Orlandinus lib. 2. c. 12.
39. *Quinta causa est.* Quia S. P. N. Ignatius speciali modo in Societate voluit elucere humilitatem ; tum propter bona , quæ in se continet , tum quia in Societate voluit maximè eminere Obedientiam , & per eam suos ab aliis Ordinibus distinguere. Perfecta autem Obedientia sine humilitate esse non potest. Nam sicut currum pro equo non sat in

commodè trahitur , vt ait S. Dorotheus Doctrinam nisi & alterum apponas , ita Obedientiam humilitatem coniugatam sibi deposcit. eò quòd , vt Deus Pater dixit S. Catharine Senensis in Dial. c. 154. *Obedientia ab humilitate tanquam à nutrice quotidie nutritur , vnde tantum est aliquis obediens , quantum est humilis ; & tantum est humilis , quantum est obediens.* Ille veraciter subesse nouit , inquit B. Laur. Iustinianus de compunctione & complanctu Christianæ perfectionis , qui omnium se agnoscit minimum , omnibus pro Christo obtemperare conatur. Sicut subiectus , humilis , prostratus omnibus , Deo deuotus , benivolus fratribus , non contradicit , non inuimuratur ; non irascitur , non reddat pro malo malum ; neque maledictum pro maledicto , accusatum tacet , iniuriis læcistius orat , temptationibus probatus sustinet , laboribus grauius ministeria perficit. Sciebat nempe S. P. Ignatius verum esse quod scribit S. Chryostomus h. 3. in Matth. *Nihil sic amicum esse Deo , quam si quis minimum se annueret ; & id esse caput totius Philosophia ( hoc nomine SS. Patres Græci perfectionem appellare solent ) atque fastigium.* Ideò prima experimenta Probationis 2. & 3. voluit esse humilia officia. Exa. c. 4. §. 13. feruire in culina , in nosocomiis , peregrinari mendicando &c. 3. p. Confl. c. 1. §. 1. & à Patribus Tertij anni specialiter nil prætermitti voluit , quod confert ad profectum in humilitate 3. p. Confl. c. 1. §. 22. Et officia , in quibus exercetur humilitas , voluit deuotè obiri. c. 4. Ex. §. 28. Et appeti. 3. p. c. 1. §. 19. & aliquando extra domœilia Probationum à Sacerdotibus exerceri. *Nihil enim , inquit S. Hieronymus Ep. 14. ad Celantiam , est quod nos ita & hominibus gratos , & Deo faciat , quam si vita merito magni , humilitate infimi simus.* Et ab omnibus vult appeti contemptum , & humiliationem nostram , nullâ datâ occasione. Exa. c. 4. §. 44. volebat enim nos omnes esse Deo charissimos , quod præstat humilitas , quæ vt Christus dixit S. Brigittæ Regel. extrau. c. 93. *Est quedam scala , quâ de terrâ ascenditur ad cor Dei.* Eos verò qui ad superbiam propensi sunt , vult exerceri S. Pater rebus abiectioribus , quæ ad humiliandos ipsos vtilis futuræ videantur , 3. p. c. 1. §. 13. ab omnibus eam seruari iubet in animo ; & in exteriori , deferendo aliis , 3. p. c. 1. §. 4. & in ratione vestitus eam ostendi 6. p. c. 2. §. 5. & in omnibus , ibidem. §. 19. Eam speciatim requirit in Rectoribus ( 4. p. c. 10. §. 5. ) & in Coadiutoribus Spiritualibus ( Ex. c. 6. §. 5. ) & in temporalibus. ( ibidem. §. 6. ) vult eam splendere in Generali. ( 9. p. c. 7. §. 2. ) Et in formulâ viuendi oblatâ Paulo III. tum anno 1540. tum iterum anno 1543. pag. 3. init. & p. 17. ante med. speciali voto obedientiæ , quo Professos Societatis Romano Pontifici obstringi voluit , id expressè faciendum posuit , ad maiorem nostræ Societatis humilitatem. Merito : quia , vt ait Gregorius XIII. in Constit. *Ascendens Domino* , & post illum in 12. Instructione , pro tertium annum acturis editâ , autoritate Sacræ Congregatio-

gationis nō dicitur. Hoc Institutum, omnino humiliter & prudenter in Christo requirit. Hinc S. Xaverius, vt scribit Turbellinus in eius vita l. 6. c. 8. ingemiscens subinde in ore habebat: h̄ arrogancia, penitentiam Christiana virtus, quamvis obsequi, obsequia es orbi terrarum: quam ex Instituto & perfectioni Societatis Iesu contraria: quanto perē pius & salutaribus sociorum conatibus aduersariis negabat enim quinquam germanum Societatis alumnū esse, ac Deo fideliter operam nauare posse, nisi contemptorem sui, & de se ipso suis rebus abiecte demissa, sententiam. Et sane valde necessaria est humilitas nostris, etiam ex hoc capite, quia sine illa non perseveremus, vel saltem non viuemus quieti. Requiritur enim, vt obediamus in eo gradu, qui est in Societate præscriptus, & vtilissima quæque in victu & vestitu acceptemus, nulli certo loco & officio alligati sumus, parati ire, quod mittemur, gradum accipere, qui dabitur, & similia, quæ sine humilitate non possunt consistere, vt necessitiam quæ inflat, & cuius fundamentum S. Pater 3. p. c. 1. §. 27. vocat humilitatem. Quocirca mirum non est, S. Ignatium tanquam magnū Humilitatis amatorem, a Beatissima Virgine olim fuisse electum, vt traderet doctrinam de humilitate B. M. Magdalene de Pazzis. Nam, vt scribit Puccinus eius Confessorius 2. p. c. 12. in eius Vita, anno 1594. 18. Decembris apparuerunt ei S. Albertus Carmelita, & B. P. Ignatius, electi vt cum eā tractarent de Humilitate & Paupertate. Ignatius sic cepit: Ego Ignatius sum electus à Genitrice sponsi tui, ad tractandum tecum de humilitate: audi ergo verba mea. Humilitas debet infundi, sicut oleum in lucernam, in nouellas plantas Religionis: & sicut oleum occupat totum vas, in quod funditur, ita humilitas & vera cognitio eius, debet tali modo occupare potentias animarum earum, vt vertendo se à dextrâ & sinistrâ parte, non videant aliud, quam humilitatem & mansuetudinem. Et sicut Elychnium (stoppino) non potest ardere sine oleo, sic nouella planta non dabit in religione splendorem sanctitatis & perfectionis, si quouis momento temporis non erit eis data nutritia ipsius Humilitatis, & si non probabuntur nec exercebuntur in eâ ostendendo illis quantoperē sit necessaria hæc virtus vera Religiosæ. Quæ virtus non est aliud quam continua vna cognitio sui non esse, & continuum gaudium in omnibus illis rebus, quæ possunt inducere ad sui contemptum. Sed procurandum est, vt in depressionibus (abassamenti) quæ illis fiunt, quod ille perueniant ad hæc gaudia, sint immobiles & firmæ, reuocando eis in memoriam quod non ob aliud sumpserunt habitum. Et ne demonium partem habeat, debet nutrix earum vri sanctâ arte, id est, vt dum vult deprimit, vel iudicium, vel voluntatem earum, & ipse repugnant, vel ad impatientiam mouentur, debet eas severe reprehendere, & ostendere eis, rem esse magni momenti, quamuis id contingat in re minimâ. Sed dum infundit oleum humilitationis, ex alterâ parte debet tenere suauē balsamum, ostendendo eis quantoperē Deum honorent in talibus actionibus, magnum fructuum quem decerpent, & ma-

gnam opus, quod ille faciunt: vt ita amore capiantur Humilitati, & aliud non velint, nec ad aliud aspirent quam ad illam. Humilitas extrinsecus debet resplendere in omnibus verbis, gestibus & operibus, & vitari debet omne verbum, quod non oleat humilitatem, sicut sunt verba, in saculo blasphemie. Debet in Religione vitari quicquid gustus remotus ab humilitate, sicut in seculo vitantur gestus contrarij honoris & fama. Debent abhorere omnia opera facta sine humilitate, sicut Rex abhorret vestes subiles in filio. Atque ita Christus Dominus inter res, quæ in Monasterio Mattis suæ Sanctissimæ volebat reperiri Reuel. Extrau. c. 10. ait: *Præ omnibus ibi debet esse humilitas vera, & obedientia sine morâ*. Quocirca S. Ignatius in Epistolâ ad P. P. Lusitanos scriptâ Anno 1547. quâ eos excitat ad studium perfectionis, inter media, quæ ad eam consequendam inducunt, primo loco ponit Humilitatem. Cum enim citasset illud Christi Matth. 5. *Estote perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est*, subdit: *Quod, illum attinet certum omnino sit, illum semper esse ad liberalitatem paratum, modo aliam in vobis profundam, humilitatem videat, quæ vsque ad ead præsupponi debet, vt dicat S. Dorotheus Doctr. 1. Nemo vltimum bonum sine humilitate potest attingere, vt aiebat Diuus Marcus Abbas. Hoc cum cognouissent sancti viri, omni studio & diligentia in operationes humiles, quibus sese Deo coniungerent, intenderunt: facti 3. ex his plurimi amici Deo. Vnde Abb. Daniel apud Callianum coll. 4. c. 15. fin. monet: *vt si integritatem cordis perpetuo consequi delectamur, humilitatis studemus virtutem ingere obtinere*. Quocirca P. Petrus Faber, docto cuidam viro, qui se Societati adiunxerat, dans monita, l. 2. vitæ c. 23. ait: *Sta in vltimo loco, quamdiu poteris. Sectare vtilissima & abiectissima officia, ex his enim gradum optimum in Christo Crucifixo tibi acquiseris. Christus Dominus qui factus est obediens vsque ad mortem Crucis, humiliatus primùm vsque ad carnem est, quam sibi coniunxit. Vtinam nos quoque sic descendamus, vt vtilissima quæque huius vite ministeria copulemus nobis, ad fouendam eam, cui nos deuotimus, humilitatem.**

Sexta causa. Quia statui Religioso maxime conuenit humilitas. Ideo P. Balthasar Alvarez, cum daret monita cuidam valde nobili Dominæ, quæ erat ingressa Monasterium Monialium Carmelitarum discalceatarum sic ei scripsit in literis: *Si queras, in quo maxime debes eminere: Dico, in te valde, valde, valde (ter hoc repetit) humiliando. Ne existimes te aliquid proficere, nisi te omnium minimam reputer. Nihil est honorabilius in creaturâ Christum Dominum nostrum agnoscere, quam quod eidem sit in re aliqua similis. Et vix aliam inuenies, in quâ magis sibi ille complacet, aut magis nunc tibi expediat quam hæc. Ideo, Christus Dominus noster, qui quæ Deus est, nostram nouit imbecillitatem, via, q. nostre perditionis, & apertissima eius remedia, valde serid (vt S. Augustinus aduertit) commendauit, vt disceremus ab ipso, quod humilis esset corq. Humilitas in verbis, ac ceremonis, seu moribus, quibus mundus decipit*

41.

42.

43.

44.

45.

piter

pitur facile obtinetur: ac cordis, que Deo placeat, rati-  
dium & magna adhibita cura. Cum igitur Religionem  
sis ingressa, ut studeas illi placere, certo tibi persuadeas,  
sunt te maxime placituras, cum omni tuo conatu  
contenderis pretiosam hanc margaritam comparare.  
Merito ergo primo loco S. P. N. Ignatii, & So-  
cietas, præcipue profectum in humilitate. Vi-  
deamus nunc qui sint eius gradus.

## CAPVT TERTIVM.

## De Primo Gradu Humilitatis.

46. Gradus Humilitatis, varij vario modo de-  
scribunt & enumerant, sed non omnes fi-  
deliter, hoc est, non eo, quo à Sanctis commemo-  
rantur modo, ut videre est apud Rossig. l. 4.  
c. 38. de discipul. Christi: & Aluarez de Paz to. 2.  
l. 4. p. 3. cit. Si confertur cum libris Sancto-  
rum tractantibus de Humilitate, Ideo aliter hic,  
aliter ille gradus humilitatis enumeratos à S.  
Anselmo l. de similit. 99. & sequ. & B. Laurentio  
Iustiniano recenset. Mihi omnium maxime  
placeat sententia B. Laurentij Iustiniani tr. de hu-  
mil. c. 7. in ligno vitæ 6. eius gradus recensentis:

Primus, inquit, gradus est se peccatorem vel con-  
tempibilem esse agnoscere: & quidem peiorem aliis,  
vbi Sancti suadent.

Secundus. Peccata sua per lumen gratiæ in primo  
gradu superficialiter cognita: deinde affectualiter de se  
sentiendo vitia, ob innumerabilem delictorum suorum  
molem, pectus tundere, lachrymas fundere, & per pec-  
catorum confessionem aliis ea referare.

Tertius. Aliis narrare contra se, quod intus laet in  
corde.

Quartus. Velle toto affectu ut ab omnibus credatur  
malum, quod de seipsis sentiunt & narrant.

Quintus. Desiderare, ut in ore hominum extinctus  
sit, ut à cunctis dicantur errata sua, & quicquid in se  
deprehenderit vitiosum.

Sextus. Toto conamine, & magnitudine desiderij  
esurire Christi conicia, & exultare in opprobriis &  
contumeliis, derisionibus & insaniis: & cuncta pro  
quibus commendabilis videri possit, abhorreere: quic-  
quid applaudit, fugere: omne quod abiectum est, gra-  
tanter suscipere, & venerari, & nihil quod foris est ap-  
petere vel timere.

Ponderemus nunc singulos hos gradus, ut  
agnoscatur quomodo quilibet eorum sit præ-  
dicandus.

47. Quoad primum, qui est, cognoscere se peccatorem  
& contempibilem esse, ob animi deformitatem,  
peccandi promptitatem, castis frequentiam, omniumque  
vitiolorum famitatem. Hunc affectum humilitatis  
nec Christus, nec Beatissima Virgo habuit, quia  
erant ab omni peccato immunes. Sed omnes  
alij homines sancti habuerunt, & ij maxime,  
qui maxime sancti erant: sciebant enim quan-  
topere hæc virtus Deo placeret. Nihil enim sic est  
amicum Deo, ut supra diximus, teste S. Chryso-  
stomo hom. 3. in Matth. quam si quis minimus se

annumeret, est, id est, caput corius Philosophiæ atque sa-  
phium. Ideo præcipui quique Sancti se vere &  
ex corde reputabant omnibus aliis peccatoribus  
peiores, & omnes se superiores & meliores.  
Que de nobis opinio in nobis, an talis habenda  
sit, uti verba Iohannis, & quomodo id fieri  
possit, considerandum est.

Et quidem quoad primam partem, ita docet  
S. Thomas 2. 2. q. 161. a. 3. in corp. Per humilitatem,  
inquit, quilibet homo, secundum id quod suum est, de-  
bet se cuiuslibet proximo subicere, quantum ad id, quod  
est Dei in proximo, non autem hoc requirit humilitas,  
ut aliquis id, quod est Dei in se ipso, subiciat ei, quod est  
Dei in altero. Et ideo, absque præiudicio humilitatis,  
possunt dona que ipsi acceperunt, præferri donis Dei,  
qua aliis apparenti collata & c. similiter etiam, non hoc  
requirit humilitas, ut aliquis id quod est suum in se ip-  
so, subiciat ei, quod est hominis in proximo: alioquin  
oporteret, ut quilibet reputaret se magis peccatorem  
quolibet alio & c. Potest tamen aliquis reputare aliquid  
boni esse in proximo, quod ipse non habet, vel aliquid  
mali in se esse, ex quo se potest subicere per humilitatem.  
Hæc doctrina S. Thomæ, in speculatione  
vera est, & est intelligenda de comparatione  
nostri cum omnibus proximis, sed non quoad  
omnia, profus nulla re excepta. Cum enim in-  
ter proximos nostros numerandi sint etiam E-  
thnici, Iudæi, hæretici, & Schismatici, qui omnes  
carent verâ Dei cognitione & fide, que est nostra  
salutis initium, fundamentum & radix omnis iustifi-  
cationis, ut ait Concil. Trident. sess. 6. c. 8. & quâ  
Dei beneficio nos sumus imbuti, certum est nõ  
debere nos quoad hoc iudicare inferiores Eth-  
nicos, & aliis veram fidem non habentibus. Et  
de hoc tantum hominum genere loqui vide-  
tur S. Thomas loco citato. Vnde ad probatio-  
nem primi & secundi dicit adfert exemplum: pri-  
mum ex c. 3. Ephes. v. 5. Aliis generationibus non est  
agnitum, filius hominum: sicut nunc revelatum est san-  
ctis Apostolis eius. Secundo loco citat Apostolum  
c. 2. Gal. 15. Nos naturâ Iudæi, & non ex gentibus  
peccatores.

Solo ergo excepto dono fidei, sine quâ nemo  
Deo placere potest. Heb. 10. 1. in aliis rebus, qui-  
libet verè humilis debet se reputare omnibus  
inferiorem, & omnes alios se meliores, & se  
omnibus maiorem peccatorem.

Hæc doctrina Probatur primò exemplis San-  
ctorum, qui talem de se habebant opinionem.  
De Beatissimâ Virgine Maria S. Bernardus in  
illud Apocal. Signum magnum, sic scribit: Merito  
facta est omnium Domina, que se omnium exhibebat  
ancillam: Merito super Angelos exaltata est, qua infra  
viduas & penitentes, infra eam de qua fuerant eiecta  
septem demonia, ineffabili se mansuetudine inclinabat.  
S. Ignatius in Epist. ad Ioan. Euan. Deuotus deu-  
otius humiliabatur & reuerentius. Id de se dicit A-  
postolus 1. Timot. 1. 15. Peccator primus ego sum. Et  
iterum 1. Cor. 15. 9. Ego sum minimus Apostolorum,  
qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam perse-  
cutus

turus sum Ecclesiam Dei. Scire cupis, inquit S. Chry-  
sostomus h. de pœnit. & mœlitiâ Achab, qui  
verè sit humilis: Paulum respice, qui verè humilis erat.  
Paulum doctorem orbis terrarum, spiritualem Orato-  
rem, vas electionis, portum tranquillum, turrim incon-  
cussam, qui medico cum esset corpore, totum orbem ter-  
rarum circumiit, & quasi alatus esset illum percurrit.  
Cerne illum humiliter ac modestè sentientem de se,  
idiotam & philosophum, egenum & dittem, illum  
verè humilem dico, qui labores innumeros exantlarat,  
qui mille trophæa adversus diabolum erexerat, qui præ-  
dicabat ac dicebat: Gratia eius in me vacua non fuit,  
sed plus omnibus laboravi: qui carceres sustinuit, &  
plagas, & verbera, qui orbem terrarum epistola vene-  
tus est, qui caelesti voce vocatus est, ille humilis erat cum  
diceret: Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum  
dignus vocari Apostolus. Hoc enim verè humilitas est,  
in omnibus seipsum abicere, ac se minimum appellare.  
Cogita quisnam esset is, qui hac verba proferebat: Pau-  
lus colorum eius, Ecclesiarum columna, terrestris An-  
gelus, homo caelestis. Talis quippe virtutis est potentia,  
ut hominem in Angelum convertat, efficiatque, ut anima  
velut pennis prædata in calum tendat. Idem Aposto-  
lus alibi Ephes. 3. 8. se vocat omnium Sanctorum,  
id est, Christianorum, minimum: græcè est ἐλαχίστος  
ἄγιος, id est, infirmior, quali dicit: Infer-  
rior & infirmior sum infimo, & minor mini-  
mo. Nam ex superlativo ἐλαχίστος, formavit cõ-  
parativum ἐλαχίστος, sicut h. ex minimo for-  
maretur minimior, ex infimo infimior, ut magis  
infra omnes profors se demittat & humiliet, ut  
benè obseruavit, hoster Cornelius in Comiti.  
Scribitur in Libro Doctrinæ Patrum l. de Humi-  
l. n. 27. de quodam sene Anachoretâ in The-  
baide, ad quem cum adductus esset energume-  
nus, & in eo diabolus senem interrogasset: Qui  
sunt hædi ad Christi sinistram collocandi, qui  
agnitidixit senex: Hædi quidem tales sunt qualis ego,  
agnos, verò Deus scit. Hac audiens dæmon, cla-  
mavit voce magnâ dicens: Ecce propter humilitatem  
tuam exeo. Et exiit eadem horâ. Scribitur in libr.  
sententiarum Patrum n. 121. à B. Antonio oran-  
te hanc vocem auditam: Antoni, necdum ad  
mensuram coriarij Alexandrini peruenisti: quo  
audito, Antonius aduenit Alexandriam, inuenit  
coriarium, qui viso Antonio obstupuit. Anto-  
nius autem, Refer inquit, operatus: quia propte-  
reâ relicta Eremita huc veni, qui respondit: Nescio  
me aliquando boni aliquid perpetrâsse: vnde ex cubili  
proprio manè surgens, antequam in opere meo resi-  
deam, dico quòd omnis hac ciuitas à minore vsque ad  
maiozem ingreditur in regnum Dei, propter iustitias  
suar: ego autem solus propter peccata mea pœnam in-  
grediar sempiternam: quòd verbum, antequam serò  
quiescam, ex cordis mei recensio veritate. Hoc audiens  
B. Antonius dixit: In veritate, sicut bonus artifex,  
sedens in domo suâ, cum requie regnum Dei adeptus es,  
ego autem velut sine discretionè omne tempus meum  
in solitudine terens, necdum verbi tui assumpsî mensu-  
ram. Idem de se sensisse S. Franciscum, quòd ma-

ximus esset peccatorum, scribit S. Bonaventura in  
eius Virâ c. 6. De Masleo quoque charo S. Fran-  
cisci socio scribitur in Chronico Franciscano  
2. p. l. c. 3. cum quadam die Fratres institissent  
coram eo collationem de humilitatis virtute,  
& quidam eorum dixisset, extitisse aliàs quen-  
dam Deiamicem omnibus virtutibus abundan-  
tem, se tamen peccatorum maximum æstiman-  
tem, & hac ratione creuisse in supernaturalibus  
donis, B. Masleus ad eò captus est huius humili-  
tatis assequenda amore, ut se voto obstrinxerit,  
nunquam velle in hoc mundo lætari, donec il-  
lam humilitatem in animâ suâ sentiret adesse.  
Ex hoc voto manebat pœpetuò in cellâ inclu-  
sus, pœpetuò gemens, & se inferno dignum exi-  
stimans, ni tantam acquireret humilitatem. Dū  
ergo per dies plurimos ita mansisset, fame &  
siti & multis lacrymis se enecans, accidit eum  
sylvam ingredi, & ingressum post multos cla-  
mores & iaspria has voces edere: Domine, Do-  
mine, Domine, veram mihi humilitatem impertire.  
Tum Dominus eum cœlitus sic cõpelliuit:  
Fratres Maslee, Frater Maslee. Ille respondit: Domine  
mi. Et Dominus ad eum: Quid vis daret, quid vis da-  
re, ad hanc gratiam possidendam: Et Frater Masleus  
respondit: Oculos capiti mei. Et Dominus ad eum:  
At ego volo ut gratiam & oculos habeas. B. itaque  
Masleus tantâ se perfusum humilitate sensit &  
iubilo, ut præ cunctis hominibus se minimum  
reputaret. De S. Laurentio Mart. hoc ipsum te-  
statur Deipara S. Brigittæ l. 2. Reuel. c. 26. Ecce  
filia mea, Laurentius, qui tantum filium meum dile-  
xit, qui talia pro honore eius passus est, indignum se di-  
xit obtinere calum. Et alibi refertur monitum S.  
Ioannis Bapt. datum S. Brigittæ l. 2. Reu. c. 19. &  
in eius personâ cuius animæ: Ne cogites se aliqui-  
bus meliorem. De B. Apollonio scribit Rufinus  
l. 3. vit. Pat. n. 25. Rosvv. pag. 501. cum adductus  
ad eum esset quidam Energumenus, & diabo-  
lus ab Apollonio quaesivisset, qui sint hædi, qui  
oues in Euangelio commemorati? respondit:  
Hædi quidem iniusti sunt, inter quos & ego sum pec-  
cator, qui multis peccatis obnoxius sum: oues autem  
Deus nouit, quæ sunt. Tunc exclamavit dæmon voce  
magnâ dicens: propter humilitatem tuam stare omni-  
no non possum, & statim egressus est de homine quem  
obsederat. De S. Catharinâ Senensi idem apparet  
ex eius Virâ & orationibus ad Deum, impressis  
in fine Dialogorum. B. Clara de Monte Falco  
Virgo Ordinis S. Augustini, considerando Diuina  
beneficia, recognoscebat se vilissimam omnium creatu-  
rarum, & valde miserabilem, quia dicebat se non dare  
ob id Domino illas gratias, quas deberet, nec se ex illis  
proficere, vii conueniret, vnde sæpè dicebat hac verba:  
Que creatura potest miserior inueniri me, que ita sum  
ingrata Domino meo? præterea dicebat suis Moniali-  
bus, à quibus honorabatur: O Sorores, si me cognoscere-  
tis, potius me abominaremini: non enim sum talis vi-  
putatis, sed famina confusione plena, & omnium pesti-  
ma. Gratias Dominus mihi concedit ex vestri amore,  
quia

Baptista  
Pergilius  
2. part. vii  
c. 27.

quis desiderat vestram salutem, cum ego sum indigna  
vestra preses. Non pro me, sed pro vobis conceduntur  
tanta dona à Deo. cui strictissime debeo reddere ra-  
tionem, cum non sciam vti illis. Et confessorius suis sua-  
debat, ut eam haberent pro vilissimâ mundi totius  
creaturâ quod cum non posset illâ persuadere, sed ab iis  
pro sanctâ predicaretur, ad hoc e affligebatur, ut se-  
pe Confessorius eam ob causam mutauerit, optando in-  
venire aliquem, à quo pro face terra haberetur. Cum  
ei dicerent, à multis eam infamari, læto vultu gratiâ  
Deo actû dicebat: Laudetur Deus, verè confiteor, me-  
ritò malè eos de me loqui, cum non reperitur persona,  
supra quam possint cadere, omnia vituperia mundi,  
quantum supra me. De S. Ignatio idem scribit Ri-  
badencira l. 5. c. 3. illum, inquit, dicentem audivi,  
domesticos omnes exemplo sibi ad virtutem atque inci-  
tamento esse, neque quenquam præter se unum, sibi dis-  
plicere. Mihi, inquit, idem, aliquando dixit, illud sibi  
à Deo petendum esse, ut eius ipsius mortui cadaver vo-  
lucris & feris lanandum abiceretur. Nam cum ego  
sterquilinum & detestabilis omnino sum, quid aliud  
meis criminibus dignum expectam? Et iterum l. 5. c. 7.  
eundem scribit, dicere solitum, persuadere sibi non  
posse, hæc duo simul coniuncta, in vilo hominum, tam  
valde reperiri, quam in se, ut in Deum v. g. aquè quis  
esset ingratus & à Deo tam multa tamq; magna be-  
neficia acciperet quotidie. Idem Ribadencira in  
Processu Toletano iuratus affectit super accidit-  
lum de humilitate S. Ignatii, eum excusasse se om-  
nibus hominibus peiorem. S. Xaverius, inquit Tur-  
cellinus l. 6. c. 8. viti, se nequissimum omnium mortu-  
lum indicabat. Catharina Riccia, viti à Prato,  
Ordinis S. Dominicij, Virgo miræ & probatissi-  
mæ sanctitatis, cum à suo Provinciali Francisco Ro-  
mæ acriter probationis causa reprehenderetur, edoc-  
ta à S. Thoma Aquinate tunc ibi præsentè, respondit: Ag-  
nosco si me ipsam considero me esse peiorem dæmonio,  
& magis Deum offendisse. De B. M. Magdalena de  
Pazzi idem testatur eius Confessorius Pucci-  
nus 4. p. in vita eius; & repetitur in Vita Romæ  
edita c. 41. fin. quamvis nunquam peccatum  
mortale commiserit, nec alia graviora venialia, ut  
dicitur in eius vitâ Romanâ dicatâ Urbano  
VIII. c. 108. tamen communicatura, timebat, ne  
terra eam absorberet. Ibidem c. 92. in eadem vi-  
tâ refertur c. 133. eiusdem B. M. Magdalene, eius  
manu scriptum exercitium, quo novem Ange-  
lorum Choros quotidie salutabat, ex quo appa-  
ret, vilissimam usque ad admirationem de se o-  
pinionem illam habuisse. Existimabat enim se esse  
demonibus similem, indignam virginitatis aureolâ, &  
quæ Deo pure serviret, indignam cui aliquid prescriberetur,  
ab Obedientiâ, & ut in Catalogo verorum obe-  
dientium poneretur, indignam habitatione in illo Mo-  
nasterio, & coniunctione suarum precum cum precibus  
aliarum, & auditione verborum iniuriosorum & con-  
fusionem parientium, si contra se talia dicit contingere:  
indignam omni gratiâ & dono caelesti, & obsequiis,  
quæ ipsa posset in auxilium proximi prestare: indignam  
communione credentium, indignam possessione humilis-

tatis spiritus, & omni alia virtute: indignam commu-  
nionem cum Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento; tam-  
sepè à se recipi solito: indignam omni lumine & inspi-  
ratione caelesti, & conseruatione sui, & dignissimam ob-  
exiguam correspondentiâ luci Divinæ, quæ deserere-  
tur à Deo. & in tenebris ac erroribus relinqueretur: in-  
dignam quæ ad illud tempus à Deo conseruata sit &  
tolerata, nec ad abyssum ignis infernalis detrusa, ob fri-  
giditatem, & gelu cordis sui, in tantis incendijs Divinæ  
charitatis. Cognoscebatq; se solam ob suam ingrati-  
tudinem inter omnes creaturas esse indignam diuinâ cu-  
râ & providentiâ & amore, quo profequitur creatu-  
ras: & abhorrebat à seipsa, tanquam à re supra opinio-  
nem omnium abominandâ & execrandâ, & omnium  
vilissimâ. Quidquid faciebat, putabat se imperfectè  
facere, & quod eius opera nihil valerent, ideoq; suis de-  
fectus sibi indicari rogabat. Quod aduercentes Monia-  
les, ut ex eius humilitatione gustum perciperent, varios  
ei defectus affingebant; illa verò iis auditis, non excusa-  
bat se, sed eis obnoxiam se dicebat. & illos præ caritate  
cordis non noscere, & veniam ab iis petebat. Omnes re-  
putabat perfectas & sanctas, se solam omnibus peiorem  
& imperfectam, omnes laudabat: terram, quam calcu-  
bant alie, præ opinione magnâ de alijs osculabatur: de-  
fectus alienos semper excusabat: Nouitias etiam, sibi  
subditas, venerabatur, vt obstupescerent, ita se honorari  
à suâ Magistrâ. Minimum defectum suum, tanquam  
ingratiudinem maximam detestabatur. Iudicabat se  
causam esse omnium defectuum, qui in Monasterio illo  
committebantur, & omnium totius mundi peccato-  
rum, & se tanquam omnium malorum causam incu-  
sabat. Ideoq; rogabat Deum, ut illis parcendo, contra  
se penas iustitiæ suæ exerceret: mirabaturq; quod eam  
Deus, Angeli, & Sancti tolerarent: quod terra non de-  
hisseret, nec viam absorberet. Timebatq; ne è Mon-  
asterio eiceretur, tanquam eo loco indigna; ideoq; dum  
versaretur cum alijs, vix oculos audebat attollere, præ  
reuerentiâ erga illas. Ad ehorum dum esset eundem,  
cum tremore ibat metuens, ne eius peccata altarum pre-  
ces Deo redderent minus acceptas. Et pro magno ha-  
bebat miraculo, quod admitteretur à Deo ad laudes &  
preces ei persoluendas. Morti autem proxima dixit, se  
tollere de mundo, ne Deus eius causa, si viveret, grati ali-  
quo supplicio mundum vti ipsa merebatur, afficeret.  
Hæc c. 133. Beatus verò Borgia se Iudâ peiorem  
esse putabat (vt scribit Schotius in eius vitâ l. 4.  
c. 1.) & infra Iudam locum sibi esse convenientem.  
S. Gertr. l. 1. diu. inf. c. 5. Quosunque homines  
vidit sibi præferbat, eosq; meliores se iudicabat, & puta-  
bat alios solâ cogitatione, innocentiâ, conuersione, nū-  
quid plus mereri, Deoq; inde laudes accrescere maiores,  
quam ipsa omnibus exercitijs suis, cunctisq; corporis vi-  
ribus potuisset. S. Theresia se ex corde maximam mun-  
di peccatricem reputabat: vti scribit in Compen-  
dio eius vitæ n. 63. P. Ioannes à S. Hieronymo,  
& Fr. Ioannes à Iesu Maria, edito Bruxelle 1610.  
Et Didacus Iepesius Episcopus Turriafonensis  
l. 3. vitæ c. 7. de eâ scribit; eam etiam videret tot in  
se Dei dona mira, raptus, & similia; quæ & à  
Confessorijs, & ab ipso Deo, tanquam à Spiritu  
Dei

Vit. l. 2.  
cap. 10.

Dei profecta dicebantur, ipsa tamen propter sola sua peccata, & indignitatem suam tremebat, & putabat non esse possibile, ut tam mala Deus ita se communicaret, ideoque quod plura accipiebat à Deo, eò magis se demittebat, & magis suam vilitatem & peccata cognoscebat, & dicebat impossibile esse, hominem non esse humilem qui Dei excellentiam agnoscat, cum hæc cognita maximè detegat nostram vilitatē, & ita non tantum humilitatem ordinariam habebat mortalem virtutem ex peccatis suis causatam, sed etiam sublimiorem, quam habent innocentes, & Christus habuit ac Beatissima Virgo conferendo se cum Dei Maiestate, & suum nihil, cum eius excellentiâ. Quod lumen de Dei excellentiâ, à quâ omnia fluunt bona, & sui vilitate sine discursu & considerationibus, hominem deprimit ad locum infimum. Hinc in suis libris, se vocat dignam inferno ob peccata sua, dignam omni contemptu, & quod nulla fuerit in mundo illa peior, & quod omnes faciant fructum, sola eâ exceptâ, & optabat viuere sine sensu ne tanta mala in se videret. Sic S. Philippus Neri, ut scribit in eius vitâ Petrus Iacobus Baccius, vocabat se maximum totius mundi peccatorem: quod dicebat tam magno affectu, ut clarè appareret, verba illa prodire ex corde. Idè quod die solebat protestari coram Deo: *Domine caue à me hodie, nam te prodam, & omnia scelera patrabo, ni me custodias.* Aliàs dicebat: *Vulnus lateris Christi est magnum, sed nisi me Deus teneret, maius insingerem.*

50. Cur ita magni Sancti de se senserunt humiliter? Ideo, quia, ut ait S. Chrysolomus h. 31. in Gen. *Esti quis innumera bona fecerit, virtutemq; omnem absoluerit, si tamen magnum quid de se sentit, maximè omnium est miserabilis & miser & c. propterea Christus discipulis suis precipiens dicebat. Luc. 17. Quando omnia feceritis, dicitis: serui inutiles sumus. Et infra: Igitur nos quoque non in tantum, quæstate nobis sunt maiores vel etiam æquales, honorem exhibeamus. Non est enim humilitas facere quod necessitate debet vel cogis: hoc, inquam, non est humilitatis, sed debiti. Vera autem humilitas est, quando cedimus iis qui nobis videntur esse minores, & eos veneramus qui nobis videntur esse magis indigni quàm nos.*

Et discipulus eius S. Ildorus Pelusiota sic scribit hac de re Martyrio Presbytero l. 3. epist. 309. *Si illud tibi studio est, vir optime, ut que ab i te cum virtute geruntur, magna esse videantur, ne sublimiter ac magnifice de te sentias: ac tum ampliora ea reddes. Ne te fecisse existimes: ac tum maiorem splendorem consequeris. Nam si peccator id se, quid est, esse iudicans, iustus efficitur (quemadmodum publicano contigit) quid tandem asserri potest, quando iustus peccatorem se esse existimans, maiorem hinc venerationem gloriamq; sibi comparet? Si candida peccati agnitio coronam peccatori attulit (non enim per summisionem, sed veritate ductus hoc dicebat) quid causa est quamobrem humilitas iusto sexcentas coronas non no-*

stat? Et l. 3. ep. 373. *Is qui virtutem colit, præclaram coronam habet: at qui virtutis officia præstans, minimè tamen se præstuisse existimat: hoc etiam ipso quod ita affectus sit, splendidiorem coronam habiturus est. Non minor enim, quàm virtutes ipse, laudis est, cum ex virtute aliquid peras, minimè tamen te gessisse arbitrari. Imò, ut rectius loquar, hoc cum adest, illa quoque magna esse indicat, cum autem abest etiam maxima quæque imminuit. Quamobrem qui virtutes suas magnas reddere cupit, ne eas magnas esse existimet, ac tum magna erunt.*

Probatur secundò authoritate S. Scripture. Nā Apostolus Philip. 2. 8. monet: *Idem sapiatis, nihil per inanem gloriam, sed in humilitate, superiores sibi inuicem arbitantes.* Græcè est *ταπεινωφρονων*, id est, in humili sentire: pro iisdem verbis in Græco est, *αλις αλιος* arbitantes superiores sibi ipsi, ut vertit Arias Montanus; quibus verbis S. Basilus c. 2. Const. mon. ait hunc sensum inesse: *Peior sum reliquis peccatoribus.*

S. Augustinus ser. 21. de verbis Apostoli legit, in humilitate mentis. Addit Apostolus inuicem, inquit S. Gregorius l. 3. mor. cap. 17. aliàs rō. Et S. Anselm. in Com. *Ne dum se aliis alter humiliat, humiliatio iret alteri in elationem.* Et S. Paulus Apostolus ad Rom. 12. 10. *Honore inuicem præuenientes.* Et Spiritus sanctus apud Ecclesiasticum 3. 20. *Quandò magnus es, humilia te in omnibus.* Est enallage, inquit noster Bonartius, gradus magnus pro maior, & simul Eclipsis: sensus enim est, quod maior es, eò amplius te humilia. Ergo omnes anteponendi sunt nobis. Et hoc loco excitat S. Fulgentius Ep. 3. *Probam Virginem sacram, ne vllam, etiam in inferiori professione positam, despiciat: Quicquid enim, inquit, spiritualium donorum plus habueris, quam habent alia, non parua est iactura virtutis, si in ipsa principali virtute, quæ est humilitas, non alias antecellas, cum non nescias scripturam: Quandò magnus es, humilia te in omnibus.*

Probatur tertio idem authoritate Sanctorum & antiquorum authorum. Beatissima Virgo Maria excitans S. Brigitam ad imitationem sue humilitatis l. 2. Retel. c. 23. ait: *Filia fuge ad manillum humilitatis mee, & cogita, te peccatricem super alios, quia estis videris aliquos malos, nescis quid eis cras futurum est, nescis etiam quâ intentione, & quâ scientiâ hoc faciant, vtrum infirmitate an industria. Idè nullis te præferas, nullisq; in corde tuo debes iudicare.* Et ibidem supra dixerat: *Quid dolorosius apud mundiales, quàm iniuriam suam dissimulare, & omnibus se credere & tenere indigniorem? Talis, si filia, erat humilitas mea.*

S. Ignatius in ep. 5. ad Trallianos: *Memores estote mei in orationibus vestris, ut Deum assequar, & Ecclesie quæ in Syria est, cuius non sum dignus appellari Episcopus.* Et ep. 15. ad Rom. *Me verò pudet, vnum de numero illorum (scilicet Syrorum) dici, nec enim dignus sum, cum nouissimus eorum sim, & abortiuus quoddam, erat autem eorum Episcopus.*

S. Basilus in Pl. 37. *Qui per Spiritus gratiam vl-*

trones sese per humilitatem subternunt, & inferioribus subiciunt cum Apostolo dicitur, omnium se seruos, omniumq; peripsa in hunc usque diem. Et rursus: Vt mundi purgamenta facti sumus, qui spirituali preces humilitate, cunctorum se faciunt postremos, vt omnium primi in regno calorum appareant: hos, inter beatos dicit Dominus, dicens: Beati pauperes spiritu. Et

column. 4. scdm. de abdicacione rerum: Cum illud in animo tibi fixum stabilieris, omnium te, quotquot sunt, mortalium esse contemptissimum, peccatissimū, onustissimum, peregrinissimū, ac vagum, & quem sola tantū misericordia adducti, ij qui priores te, se à seculi huius curis auocant: sibi in Societatem adiciunt, studiosè operam dato, vt omnium nouissimus sis ac seruus omnium, quando ista ratione vnà, veram tibi ac solidam gloriam paries, non autem illam vanam cassamq;. Et alibi: Etsi non es tibi aliquid peccati conscius, adhuc tamen dic in oratione: Domine non sum dignus, qui ad te loquar, quoniam magnus admodum peccator sum. Nemo enim sine peccato est, nisi solus Deus. Nam licet multa peccemus, plura tamen delictorum nostrorum ignoramus. Quapropter inquit Apostolus: Nullus mihi conscius sum, sed nec in eo iustificatus sum. Hoc est, multa pecco, quae non intelligo. Vnde & Propheta dicit: Delicta quis intelliget? Itaque non dices mendacium, si te peccatorem esse dixeris. Dic potius, Peior sum reliquis peccatoribus.

l. 7. c. 43. num. 1. Ruff. l. 3. num. 206. Pelag. libel. 10. num. 63. Rof. pag. 684. col. 1.

Abbas Siluanus in Vitis Patrum inter monita quae dedit Abbati Moyfi ab eo rogatus dixit: Ne te mensures cum magnis, aut iustum te aestimes, sed te crede inferiorem esse totius creaturae. *id est*. viliorrem quous homine peccatore. Qui se existimat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. Ibidem quidam tenex dixit, Ruff. l. 3. n. 115. Pelag. libel. 15. num. 54. Palch. c. 15. n. 3. Rof. v. p. 517. n. 115. & p. 626. n. 54. & L. 5. libel. 15. n. 54. Quando cogitatio vana gloria vel superbia te impugnat, perscrutare te ipsum, si omnia Dei mandata seruasti, si inimicos tuos diligis, si gaudes in gloria inimici tui, & contristaris in detractione eius: si apud te habes, Quoniam seruus inutilis sum, & plus omnibus hominibus peccans, & neque tunc tamen aliquid grande sapias, tanquam aliquid boni feceris. Sciens quod elata cogitatio omnia illa bona dissoluit. Ibidem, dixit Abbas Siso: Non est magnum hoc, vt mens tua cum Deo sit; magnum est autem, si te ipsum infra omnem videat creaturam.

S. Chryostomus h. de pœnitentiâ & mœstitiâ Achab, Publicanus, inquit, cum humilitatem praesentulisset, iustus est factus: quanquam ne humilitas quidem erat illud, sed veritas: siquidem humilitas est hoc, cum quis magnus cum sit, se ipsum humiliat. Et alio in loco h. 3. in Matth. Noli te putare quicquam fecisse cum feceris, & plenissime cuncta fecisti: Si enim etiam cum peccatores simus, hoc nos arbitrando quod sumus, iustificamur, sicut etiam publicanus, quando magis se cum iusti fuerimus, esse nos peccatores tantum putamus? Siquidem ex peccatoribus quoque iustos humilitas facit, cum tamen non sit illa humilitas, sed confessio. Siquidem tantum valet in peccatore confessio, considera quantum humilitas possit in iusto &c. Si te inu-

ilem esse fatearis factus es vilis, etiam si fueras ante culpabilis: propterea nobis necessaria est praeteritatum obliuio virtutum &c. Et quando maiora fecerimus bona, tanto de nobis minima dicamus. Quando enim aliqua fecerimus, habemus eum procul dubio debitorem, quando verò nihil arbitramur nos operatos, amplius etiam de tali meremur affectu, quam propter opera ipsa quae facimus. Minimum itaque de se sensisse, tam magnū est, quam res maximas fecisse: quod si non adfit, nec illa poterunt esse laudabiles, & minimum de se sensisse tam magnū est, quam maximas res fecisse. Et ibidem: Nihil sic est amicum Deo, quam si quis se minimis annumeret, hoc est enim caput totius phislophie atque fastigium. Et h. 33. in Gen. Vera humilitas est quando concedimus iis qui nobis videntur esse minores, & eos veneramur, qui nobis esse videntur magis indigni quam nos. Quod si rectè sapiamus nullos etiam nobis esse minores arbitramur, sed nos excelli ab omnibus hominibus dicemus. Et hoc dico non de nobis qui innumeris sumus immeriti peccatis, sed etiam si quis sibi plurimorum bene gestorum conscius sit, nisi apud se sentiat quod omnium sit postremus, nulla ei futura utilitas est ex omnibus suis bonis operibus. Quanti autem momenti sit, iudicio Dei, humiliare se infra omnes, immo se ponere ex instinctu humilitatis in classe sceleforum, ostendit Deus mirâ expulsiōne demonis descriptâ in Vitis Patrum. Ruff. l. 3. num. 25. Pelag. libel. 15. num. 65. Rof. veydus pag. 501. n. 25. Cum enim beatus Abbas Apollonius rogatus ut quendam energumenum curaret, & is per triduum rogatus nollet, dicens, non esse se huius meriti, vt demonibus imperaret, cum tamen persisterent, qui venerant, rogantes tum & stentis nimis, tandem acquiescit. Cum autem in nomine Domini Saluatoris nostri imperaret demoni, dicens: Exi immunde spiritus de plasmate Dei. Tunc respondens demon, dixit ei: Ego quidem imperante virtute Christi egredior, tamen interrogabo te sermonem, vt dicas mihi: Quid est quod scriptum est in Euangelio Matth. 23. Qui sunt hodi & qua sunt oves? Respondens autem senior dixit ei: Hodi quidem iniusti sunt, inter quos & ego sum peccator, qui multis peccatis obnoxius sum: oves autem Deus nouit, quae sunt; tunc exclamauit demon voce magnâ dicens: Propter humilitatem tuam stare omnino non possum, & statim egressus est de homine, quem obsederat; videntes autem omnes qui astabant, dederunt gloriam Deo. Similiter L. 5. libel. 15. n. 86. Ruff. l. 8. n. 29. Rof. veydus p. 629. n. 86. cum quidam Frater in Congregatione omne pondus, quod Fratris imminabat, ipse susciperet, ita, vt se etiam in fornicatione accusaret, & quidam Fratrum ignorantes actus eius murmurarent aduersus eum, Abbas sciens qua agebat, vt demonstraret ex Dei iudicio qualis esset Frater ille, astulit omnia, quae operati fuerant Fratres illi, & mattam eius, de quo querebantur, & accendit ignem, & iactauit in medio. Consumpta sunt ergo omnia illorum opera, matta autem Fratris illius illaesa permansit. Quod illi videntes timerunt, & penitentiam coram illo egerunt, habentes eum deinceps velut patrem.

Rof. vey-

Rofveydus in Vitis Patrum pag. 626. n. 47. Frater interrogauit Abbatem Sifoi, dicens: Video me ipsum, quia memoria mea ad Deum intenta fit. Et dicit ei Senex: Non est magnum hoc, vt mens tua cum Deo fit; magnum est autem si teipsum infra omnem creaturam videas. Ibidem n. 54. Dixit Senex cuidam, quando cogitatio superbia aut elationis intrauerit in te, scrutare conscientiam tuam, si Diuina mandata omnia custodis; si inimicos tuos diligis; si gaudes in aduersarij tui glorificatione; & si contristaris in inuolutione eius; & si agnoscis teipsum esse inutilem seruam; & si omnium peccatorum esse deteriorem.

Rufinus l. 3. n. 81. Quidam Frater requisit Abbatem Pimenium dicens: Quid est, Pater quod Apostolus dicit: Omnia munda mundis; at ille dixit: Si quis ad hunc sermonem peruenire potuerit, vt eum intelligat, videbit se minorem esse totius creaturæ.

S. Augustinus l. de S. Virgin. c. 31. Mensura humilitatis, cuique ex mensura ipsius magnitudinis data est. Hinc sequitur, quò quis fuerit sanctior, eò debet se peiorem omnibus existimare, & cunctis subiicere: hoc est enim essentiale humilitati. & c. 33. ait: Humilitatis sectatores, & conseruatores; maxime eos esse conuenit, qui magno aliquo bono ceteris eminent: vt magnoperè curent illud: Quamò magnus es, tantò humilia te in omnibus.

S. Ambrosius l. 2. Offic. c. 27. Hac est humilitas, si nihil sibi quis arroget, sed inferiorem se esse existimet. Et l. 3. cap. 4. Vri Christiani est præferre sibi alterum, nihil sibi arrogare.

S. Gregorius hom. 9. in Euan. Cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum: tantò ergo humilior, atque ad seruendum Deo promptior quisq; debet esse ex munere, quanto se obligatiorem esse conspiciat in reddendâ ratione. Et l. 34. mor. c. 27. aliàs 16. p. 6. derans in illo Apostoli, Superiores sibi inuicem arbitantes, tò inuicem. In cogitationibus, inquit, cordis & ego mihi illum præferam, & vicissim ille me sibi. Vt cum vtraque parte cor inferius premitur, nullus ex impenso honore subleuetur. Est enim proprium Electorum, inquit idem l. 34. mor. c. 16. vel 17. quod de se semper sentiant infra quam sunt. Idem alibi l. 20. mor. 8. Probatio sanctitatis non est signa facere, sed de proximo meliora, quam de seipso sentire.

S. Benedictus c. 7. Regula; inter gradus humilitatis ponit: Omnibus se inferiorem & viliozem, non solum lingua pronuciare, sed etiam intimo cordis affectu credere, & dicere cum Propheta: Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.

S. Ioannes Climacus grad. 25. referens varias variorum Patrum sententias, de naturâ humilitatis (cuius definitionem dari non posse asserit, sed eam longo experientie vfu solummodò perdisci) ait à quodam sic descriptam esse: Extremum se omnium, magisq; peccatis obnoxium existimare. Et ipse ex suo sensu addit: Si proximum nostrum, vbiq; ex intimo affectu cordis meliorem nobis esse arbitramur, iuxta est Diuina misericordia. Et hæc opinionem de nobis ad eò requiri ad humilita-

tem asserit: Vt sicut impossibile est, ex niue progredi flammam, sic longe impossibile, vt in eo, qui alterius opinionis sit, humilitatis virtus oriatur.

Cassianus l. 4. Inst. c. 39. Inter indicia humilitatis ponit. Si quis semetipsum cunctis inferiorem non superficio pronuciet labiorum, sed intimo cordis credat affectu. Et libr. 12. inst. cap. 33. Status humilitatis subleuetur, vt nos inferiores omnibus iudicemus.

S. Dorotheus serm. 2. Duo sunt, inquit, genera humilitatis: Primum, vt fratrem ac proximum nostrum meliorem honoratioremq; ac prudentiorem nobis existimemus, & in omnibus præstare illum atque excellere credamus, & vt breuiter cum illo Sancto Senè dicam, omnes nos inferiores & abiectiores esse, intimo cordis affectu putemus.

S. Bernardus ser. 37. in Cant. Non est periculum quantumcunq; te humiliter, quantumcunq; reputes minorem quam sis, hoc est, quam te veritas habeat. Est autem grande malum horrendumq; periculum, si vel modice, plus verò te extollas, si vel vni videlicet in cogitatione tuâ te præferas, quem fortè parem tibi veritas iudicat, aut etiam superiorem. Quemadmodum enim si per ostium transeas, cuius superliminare (vt ad intelligentiam loquar) nimium bassum sit, non nocet quantumcunq; te inclinaueris, nocet autem, si vel transuerfi digni spatio, plus quam ostij patitur mensura, ereris, ita vt impingas, & capite quassato collidaris; sic in animâ non est plane timenda quantalibet humiliatio. Quamobrem noli te homo comparare maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli vni. Quid scis enim, ô homo, si vnus ille, quem fortè omnium vilissimum atque miserimum reputas, cuius vitam sceleratissimam ac singulariter sedam hères, ac propterea putas illum spernendum, non modò præ te (qui fortè iam sobrie, iuste, & pie viuere te confidis) sed etiam præ ceteris omnibus sceleratis, tanquam omnium sceleratissimum; Quid scis, inquam, si melior & te & illis, munere dextera excelsi, in se quidem futurus sit, in Deo verò iam sit: Et propterea non mediocrem, non vel penultimum, non ipsum saltem inter nouissimos eligere locum nos voluit. Sed recumbe, inquit, in nouissimo loco, vt solus videlicet omnium nouissimus fideas, teque nemini non dico præponas, sed ne comparare præsumas. Et cap. 6. Meditat. Cogita, inquit, de Deo, quicquid melius potes, & de te quicquid deterius vales. Et sermone 13. Cant. Magna & rara virtus, profectò est, vt magna licet operantem, magnum te nescias, & manifestam omnibus tuam te solum latere sanctitatem: mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare: hoc ego ipsi virtutibus mirabilius iudico. Fidelis reuer à famulus es, si de multâ gloriâ Domini tui, etsi non ex eunte ex te, tamen transeunte per te, nil tuis manibus adherere contingat. Idem Tract. de vitâ solitari. col. 3. Volo hoc facias in agitudine tuâ, quod cum sanissimus esset, faciebat, qui dicebat: (1. Tim. 1.) Venit Iesus Christus peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Neque enim hoc dicebat Paulus mentiendi præcipitatione, sed assimandi affectione. Qui enim perfectè examinando semetipsum intelligit, suo peccato

nullius peccatum par esse existimat, quod non sicut suum intelligat &c. Malo te cogitare, ubique esse ferenum, nisi penes te. & peius de te quam de aliquo existimare. Et in formulâ honestæ vitæ, §. de humilitate col. 1. In tantum inferiorem ac ceteris viliozem te, non solum ex intimo cordis affectu credas, verum etiam non te dicas profecisse (scilicet, cui id dicendum non est) sed nec te aliquid esse existimes iuxta illud Apostoli Gal. 6. Qui se aliquid esse existimat cum nihil sit, ipse se seducit. Ibidem col. 3. Studeat quantum potest se vilissimum reputare, & indignam beneficium Dei, ipse sibi displiceat. Et post absolutam formulam honestæ vitæ, subdit inter alia: Credas omnes homines esse meliores te, magisque placere Deo.

B. Laurentius Iustinianus, de discipl. & perf. mon. con. ca. 19. col. 3. Qui se veraciter agnoscat, & Deum ardentius diligit, plus ceteris se peccatorem proficitur. Et l. de humil. c. 2. fin. Humilitas quod magis augetur in homine, eo facit de se iudicare abiectius. Hinc est quod semper accusator est sui, arbitratur sibi plurimum deesse, peruenire, quod tendere nititur &c. Mira res & consideratione dignissima. Quotidie sollicitus se exercet, & nihil agere putat se, proficit de bono in melius, & in deterius se declinare fatetur: donis spiritualibus diutim locupletior efficitur, & pauperrimum se esse videt, mentis libertate fruatur, & sui corporis ac vitiorum seruum se esse proclamat. Hoc autem de se conficitur, non animi lenitate impulsus, nec ignorantia caligine obuolutus, neque tentationis vel desperationis nimietate superatus, sed veritatis splendore illustratus, atque humilitatis disciplinâ imbutus. Et serm. de S. Iacobo Apostolo in fine: Omnium te minimum arbitrare.

Thomas de Kempis in aureo illo libello de Imitatione Christi l. 2. circa fin. Non reputes, inquit, te profecisse, nisi omnibus inferiorem te esse sentias. Et l. 1. c. 2. n. 4. De se ipso nihil tenere, & de aliis semper bene & altè sentire, magna sapientia est & perfectio. Si videres alium apertè peccare, vel aliqua graua perpetrare, non deberes tamen te meliorem astimare, quia nescis quam diu possis in bono stare. Omnes fragiles sumus, sed tu neminem fragiliorem te ipso tenes. Et l. 1. c. 7. n. 3. Ne te reputes alius meliorem. Si aliquid boni habueris, crede de aliis meliora, ut humilitatem conserues. Non nocet, si omnibus te supponas, nocet autem plurimum, si vel vni te preponas S. Gertrudis ut scribitur l. 1. c. 5. in fin. diuin. piet. Omnium se indignissimam arbitrabatur, & quoscunque homines vidit, sibi præferebat, eosque meliores se iudicabat. Atque idè dum illis dona Dei communicaret, putabat illos solâ cogitatione innocentia, conuersatione, mundâ plus mereri, Deo, inde laudes accrescere maiores, quam ipsa omnibus exercitiis suis, cunctisque corporis viribus potuisset: idque fieri arbitrabatur per suam indignitatem, vilitatem, ac negligentiam. Et l. 2. c. 3. Christum Dominum sic alloquitur: Commendas, ut mihi videtur, maiorem virtutem patientia tua in eo, quod tot defectus meos tam æquanimiter supportare potuisti, quam cum tempore mortalitatis tuæ Iudam traditorem tuum benignè tolerares. Tamen

certum est, S. Gertr. peccata, non fuisse grania, & paria Iudæ peccatis.

S. P. N. Ignatius, Potiores, inquit, partes aliis deseruamus, omnes in animo nostro tanquam nobis superiores ducendo. 1. par. Conf. c. 1. §. 4.

Accedat his Ethnicus Cicero: Rectè precipere videntur, qui moment vt quamid superiores sumus, tantò nos submissis geramus. l. 1. Offic.

Quoad secundam partem huius primi puncti videndum est, quomodò id possit fieri, ut qui se videt sine peccatis grauib, & plenum magnis donis Dei, exitimet se peiorem illis quos scit esse grauissimis peccatis immeritos. Videtur enim hoc esse impossibile vel saltè explicatu difficile: vnde & S. Climacus grad. 25. ait, humilitatem esse veybis sensibilibus inaccessibilem. Referam prius modos, quibus hanc rem Sancti explicant, postea dicam meam sententiam.

Primus Modus traditur à S. Augustino, qui id ita fieri posse ait ser. 21. de verbis Apostoli, si is, qui se alteri postponit, cogitet posse esse aliquid occultum, quo nos superet, is qui videtur peior. Nam postquam ex Apostolo retulit locum à nobis citatum, Superiores sibi inuicem arbitantes, subdit: Verè existimemus posse esse aliquid occultum in alio, quo nobis Superior sit, etiamsi bonum nostrum, quo illo videmur superiores esse, non sit occultum. Item to. 6. cap. 43. de S. Virginit. scribit: Virgo ne se coniugata præferat, cogitet occulta Dei dona, qua non nisi interrogatione tentationis, etiam semetipsum cuique declarant. Vnde enim præter alia scit Virgo, ne forte ob mentis infirmitatem nondum sit matura martyrio, coniugata verò sit? Vnde, inquam, scit, ne forte ipsa nondum sit Thecla, iam sit illa Crispina? Erat hæc Crispina, ut dicitur in Martyrologio Roman. 5. Decembris, nobilissima femina, qua temporibus Diocletiani & Maximiani, cum sacrificare nollet, iussu Anolini Proconsulis decollata est: quam S. Augustinus sæpe laudibus celebrat. Hæc de illâ Martyrologium, passa est Thebeste in Africa: meminit eius tanquam nobilissimæ Martyris S. Augustinus in Psal. 120. in fine, & in Psal. 137. in serm. 53. de verbis Domini, & loco paulò antè citato, & ser. 39. de diuers. c. 2. fin. Et c. 47. eiusdem libri de Virginit. Vt quisque non inflatur ex eo, quod videt se posse, cogitet forte alios posse aliquid, quod ipse non potest: ita seruabitur non fallaci, sed veraci humilitatis, honore mutuo præuenientes, & alterutrum existimantes superiores sibi. Hunc modum humiliandi nos tradit etiam S. Anselmus in c. 2. Philip. Eodem modo & S. Thomas humilitatem exerceri posse ait 2. 2. q. 161. a. 3. ad 2. Iudicamus & estimamus posse esse aliquid occultum in alio, quo nobis superior sit, etiamsi bonum nostrum, quo illo videmur superiores, non sit occultum.

Sed hic modus etsi bonus est, non videtur esse sufficiens ad firmiter iudicandum, alium esse nobis meliorem, vti opus est ad perfectam humilitatem, qua, vti alia virtutes, requirit firmita-

mitatem in suis actibus, fundatur enim in opinione incerta in (forte) Nam sicut alter potest habere aliquid occultum maius, quam nos, ita potest non habere; & cum certum nobis non sit, illud maius bonum illi inesse, non possumus certo & firmiter iudicare, illum esse nobis meliorem. & propter illud occultum incertum, nos illi postponere. Idem opinio, quæ de te aliqua est cum formidine oppositi, prorsus est incerta notitia. Ac in humilitate perfecta est, & esse debet firma, certa, ac resoluta persuasio & assensus sine formidine oppositi de aliis, quod hinc te meliores.

Secundus modus postponendi nos aliis, traditur à S. Gregorio hom. 10. in Ezech. post med. ut considerat opem donorum Dei, quæ certo videtur in aliis esse collata, & nobis deesse, ob illa alios nobis anteponamus. Mirâs. inquit, dispensatione omnipotens Deus, sic in Electis suis, sua dona dispensat, ut & isti det, quod illi denegat, & alteri maius, quod alteri minus tribuit; quatenus dum vel iste habere illum conspicit, quod ipse non habet, vel ille hanc maius accepisse considerat, quod sibi minus adesse pensat, dona Dei alter in altero id est vicissim omnes admittunt, & que ex hac ipsa admiratione, humiliter alter alteri: & quem habere videt, quod non habet, eum Divino iudicio sibi prelatum putet. Et hic modus est bonus, sed vigore talis considerationis solius, si deit aliud, nemo potest simpliciter iudicare, alterum se esse meliorem, sed tantum secundum quid, ob donum illud, quod in altero videt, in se verò non videt. Potest enim quis, unâ re alacrum superare, & superari ab alio, pluribus, & maioribus donis.

Tertius modus præponendi nobis alios, datur à S. Francisco, qui cum, ut scribit S. Bonaventura c. 6. eius Vitæ, dixisset: Videor mihi maximus peccatorum: cum ei Frater diceret ex adverso, quod hoc non posset sana conscientia dicere, nec sentire, subiunxit: Si quantumcumque sceleratum hominem tantâ fuisse Christus misericordiâ prosequutus, arbitrâ sanè, quod multò, quàm ego, Deo grator esset. Et hæc etiam consideratione excitabat se B. M. Magdalena de Pazzis, ad se, omnibus peiorem iudicandam, ut dicitur in eius Vitâ, c. 133. & 134. Et hic modus probatur à P. Alvarez de Paz. to. 2. lib. 4. p. 3. c. 5. Sed & hic modus non est sufficiens, ut quis se existimet altero scelerato peiorem, ob id, quod ille melior esset, si à Deo eadem, quæ ipse, beneficia percepisset. Primò, quia refertur ad statum futurum, non præsentem, circa quem versatur humilitas, nam ex tali motivo non sequitur alios esse meliores, sed fore, si habebunt illa, Dei dona. Secundò, quia talis de altero opinio conditionalis est, non absoluta, conditionalis autem, ut aiunt in scholis, nihil ponit in esse. Humilitas autem, humilem adigit, ut absolute præstatu præsentem, sentiat se, & præteritis, & præsentibus, & futuris hominibus esse peiorem. Tertio, quia non est certum, alium fore meliorem,

si haberet ea dona, quæ humilis habet, forte enim illis abuteretur, vel non melius uteretur, quàm utatur is, qui se illi debet postponere; ac proinde non potest ex tali motivo & modo humiliter de se sentiendi, aliquis absolute & firmiter, & certo iudicare se illo & aliis esse peiorem.

Quartus modus datur à S. Anselmo l. de similitu. c. 109. & à S. Thoma 2. 2. q. 161. a. 3. loco supra citato, si quis peccata sua conferat cum Dei donis, quæ sunt in altero, non verò cum peccatis alterius. Et hic modus placet P. Lessio libr. 4. cap. 4. dub. 7. n. 48. Sed talis humiliandi se modus, non est perfecta humilitatis, quæ facit, ut quis, se omnibus peiorem existimet, non distinguendo in altero, peccata à Dei donis; sed in confuso, & in concreto, totum, quantum est, cum omnibus, quæ habet in se, cum considerando, & cum eo se conferendo, tanquam cum meliore & digniore. Deinde exercitium perfectæ humilitatis difficile est, atque tale, quale ab hoc quarto modo proponitur, nullam habet difficultatem: quis enim non facile iudicat, dona Dei in altero, esse digna honore, & sua peccata vituperatione, & alterum ob Dei dona, se esse meliorem, considerato cum peccatis solis, vel cum donis naturæ solius. Denique etiam superbissimus quisque & aliis se anteponeas, nisi sit vel atheus, vel proflus amens, iudicat resolute, dona Dei esse meliora peccatis, & hominem ob Dei dona esse meliorem, quàm alterum cum solis peccatis; non est ergo satis ad humilitatem, si sola sua peccata quis conferat cum solis donis alterius. Et talis humilitas videtur esse illa, vel illi similis, quam S. Bern. serm. 42. in Cant. vocat, Humilitatem, quam nobis veritas parit, & quæ non habet calorem, vii alia, quam charitas format & inflamat. Atque hæc in affectu, illa in cognitione consistit. Etenim tu si te ipsum intus ad lumen veritatis & sine dissimulatione inspicias, & sine palpatione diiudices: non dubio, quin humiliter & tu, in oculis tuis, factus vilior tibi ex hac verâ cognitione tui, quamvis necdum fortasse patiaris id esse in oculis aliorum. Erius igitur humilis, sed de opere interim veritatis, & minime adhuc de amoris infusione.

Quintus modus esse potest, sed non pro omnibus, verum pro magnis peccatoribus, qui cum peccata propria melius sciunt, quippe per experientiam in se agnita, & plurâ quàm eodem gradu cognitionis, aliena, conferendo sua plura & graviora cum alienis, quæ nec tot nec tam certo genere cognitionis sciunt de aliis; seu ab aliis esse admittit, merito omnibus aliis peccatoribus possunt se iudicare esse peiores.

Dicitur Fieri potest, ut quis ex confessione Sacramentali agnoscat, alium longè plura & graviora peccata commisisse, quomodo ergo is eo se peiorem existimare poterit?

Respondet. Notitia Confessionis est tantum data à Deo ad peccatoris statum in Sacramenti

administatione agnoscendum, ob sacramentalem absolutionem ei impendendam; quocirca eam notitiã vti non debet ad vllum alium finem, ac proinde, cum is notitiã propriorum peccatorum certiore, quippe experimentalit, plura & grauiora in se peccata cognoscat, quam in aliis, se alius peiorem existimare debet, & notitiam sacramentalem excludere, ac si eam non haberet, & eam tantum alienorum peccatorum notitiã habere, quam habuit antequam alterius peccata in Confessione audisset.

Sextus modus datur à S. Bernardo serm. 37. in Caino. Si in quomãm statu vniquemque nostrum habeat Deus, liquidò agnosceremus, nec supra sanè, nec infra secedere deberemus; veritati in omnibus acquiescentes, nunc autem huiusmodi consilium hoc posuit: tenebras latibulum suum, & sermo absconditus est à nobis, ita ut nemo sciat, si dignus sit amore vel odio, iustus tunc, profectò est, si iuxta ipsius veritatis consilium, nouissimum nobis locum eligimus, de quo postmodum cum honore superius educamur, quam presumimus altiore, vnde cedere mox oporteat cum rubore.

Et hic modus bonus est, sed non est sufficiens pro omnibus, nam per hunc modum, non apparet quomodo se possit humiliare & postponere alteri is, qui ex Dei reuelatione sciret se esse in gratiã, quod de altero non sciret; imò si alterum videret peccatis grauissimis inuolutum, & ab illis nolle secedere (à quibus ipse totã vitã liber fuit) & in eis illum moriturum.

#### CAPVT QUARTVM.

*Explicatur causa, qua persuadet humili, ut se omnibus aliis peiorem & contemptibiliorem existimet.*

54. **S**eptimus ergo modus humiliandi nos est etiã pro iis, qui vixerunt in magnã vitã innocentiã, & in se Dei dona multa vident, quã non vident in aliis, imò quã ex confessione vel manifestatione conscientie certò sciunt alios non habere, est hic, ut scientes Dei voluntatem, in Scripturã (vti supra vidimus) nobis declaratam hãc esse, vt alios nobis superiores existimemus, & cum omnia fecerimus, quã debeamus, seruos tamen nos inuites, vt Christus iussit Luc. 17. reputemus, id quò Sanctos maximos de se sensisse, nos quoque captiuato intellectu omnino ita iudicemus; etiam si in contrarium offerat se cognitio alienorum peccatorum nostris maiorum, vel per confessionem vel aliter certò cognitorum. Hoc totum, inquit B. Laurentius Instinianus, fit ex illustratione superuenientis & illustrantis gratie: quia, teste Paulo Eph. 5. Omne quod arguitur, à lumine manifestatur. Et alio in loco de cast. connub. c. 20. col. vlt. In hoc, ait, lumine sapientia & nihilitalis propria, perfecte habitus perficitur humilitatis, quã est certa Diuina essentia suã, non existentie

notitia. Eo namq, mens humilior est quò in hoc sapientie radio exercitator est. Hunc, quã spongia est, habitum induens ex virtute, ex amore, ex zelo verbi, non potest excelli. Et subdit effectus, quos humilitas cauat in humili, Et alio in loco de compunctione & complacentiã Christiã per sektionis, col. 32. Humilias est in lumine veritatis infuso, quinet certa cognitio. Et in hãc insitit. & regim. Prælatorum c. 21. Spirituales hominis irradiatus splendore, quãtò præstantiora recipit dona, & quãtò excellentiora per agit opera, tantò de se sentit abiectus. Deo, se obliuatiorem agnoscat, dum se videt charitatis, & impensã sibi muneris vices illi nullatenus posse rependere. Similium habet l. de humilitate, cap. 20. col. vlt. Vide ibid. c. 21. col. vlt. vide & c. 22. col. 2. Eodem sensu dixit S. Ioannes Chrysostomus; duplicem humilitatem esse. Alia, inquit, adhuc peccantium conscientie reprehensio, & alia, quã perfectis per Dei operationem prouenit, diues ac letifica humilitas. Et B. Angela de Fulgino c. 18. vlt. in 217. alias e. 63. Cor. dicit, inquit, humilitas, ò sibi habere quam vos habere & discere voluit Deus homo, est lumen, quoddam mirificum atque clarum, quo intellectus anime aperitur, ad cognoscendam suam vilitatem, & nihilitalatem, & Dei bonitatis immensitatem. Ex hac ergo Dei operatione & captiuatione intellectus, se ipsius iteratã, & heroicè frequentatã; ita intenditur habitus humilitatis Dei gratiã, & lumen quoddam miram de vilitate nostrã, & statu nostro, omnẽ contemptu & depressione digno, vt postea cum summa facilitate homo intime credat, se omnibus aliis esse peiorem, & ipse sibi magis displicet, quã displicentia, quos videt immeritos sceleribus, quã ipse non habet, vel nonquam habuit, & quos scit careere magnis illis donis quã in se certò videt. Atque ita humilitatis habitus, qui non est habitus intellectus, sed voluntatis, sine aliis considerationibus euidenter ostendentibus nostram vilitatem, & aliorum supra nos eminentiam, imò cum agnitione maiorum in aliis, quã in nobis, peccatorum, adinstar Fidei inclinã intellectum ad peius de se, quã de aliis sentiendum, & voluntatem ad habendam maiorem circa alios, quã circa se complacentiam, imò ad nullam circa nos ipsos complacentiam, sed potius ad potiorem displicentiam nostri, & auersionem à nostris moribus. Imò habitus seu virtus humilitatis, vt cuiusdam in Societate, sibi nostro, indicat Deus, magis captiuat intellectum, quã habitus Fidei ad credendum difficulta mysteria Fidei; eò quòd obiecta circa quã versatur humilitas, magis inter se pugnant, quã materiale obiectum Fidei. Obiectum enim (latè vsurpo nomen obiecti) vnum humilitatis alicuius est, Anima sine vilo peccato mortali, & plena heroicè virtutibus existens; Alterum verò obiectum est, Anima alterius, grauisimis peccatis, & voluntate in eis perseverantis, facta & nullis Dei donis magnis ornata. Et tamen ex habitu humilitatis prior anima in aliquo seruo

de hum.  
cap. 7.

seruo Dei, iudicat se peiorem alterâ, quæ peior est in rei veritate, quæ ita se humiliat. Obiectum verò Fidei, est, v.g. existentia Christi corporis in Eucharistia; cui non opponitur aliud contrarium, sed tantum hoc, quòd in eâ Christi Corpus non videatur, sed sola accidentia sensibus percipiuntur: quæ accidentia percepta sensibus non opponuntur contrariè existentie Christi Corporis, sicut opponitur anima cum peccatis, animæ carenti peccatis. Ideò difficilior est humiliari animam sine peccatis existentem, & se postponere animæ in peccatis existentem. Magis ergo humilitas captiuat Dei gratiæ efficaciam intellectum, quàm fides. Et ideò magnum est meritum humilitatis ex hoc capite; & ideò ad eò placet Deo humilitas, per quam quis ob Dei reuerentiam, id à nobis exigentis, omnes alios sibi anteponeat, & locum nouissimum occupat, non tam corporis situ, quàm profundâ submissione mentis infra omnia, & infra diabolos ipsos, eò quòd hi pauciores per liberum arbitrium commiserint, quàm multi homines, peccatis mortalibus inquinati. Imò infra omnes damnatos, eò quòd plura idem de se experimentali cognitione sciunt peccata, quàm de damnatis.

Confirmatur hoc p̄tactico & viuo exemplo humilissimi nostri S. P. Ignatii, qui vti supra ex Ribad. l. 5. c. 3. retuli, etiam si vti Superior videret tales in domesticis defectus, quales in se non videbat, etiam si in se videret dona maxima Dei, tamen dicebat: *domesticos omnes exemplo sibi ad virtutem, atque incitamento esse, neque quengquam prater se sibi displicere.* Nam, vt scribit S. Bonauentura l. 1. p. Spec. p. 2. c. 3. *In domo quam subintrans solis radius illuminat, quantumcumque licet fuerit pramundata, atomi nihilominus diligentius inueniri apparent: sic & cor radiu gratiæ illustratum, etiam minima videt, ac vitiorum laqueos, subtili examinatione discernit. Quanto quis fuerit mente purgator, tanto se fordidiores videbit, & maiores causas humiliationis inueniet.*

Idem experientia patet in aliis, quibus Deus dedit in gradu alto virtutem humilitatis, per quam etiam imperfectissimi eorum penitentes magis iis placent, & non displicent, vti ipsi sibi displicent, etiam si talia peccata non habeant, vel nunquam habuerint. Humilitatis vis id efficit, ita captiuando intellectum, & debellando superbiam, & cor hominis flectendo ad profundissimam submissionem, & infimum infra omnes creaturas rationales locum. Qui tales sunt, habent humilitatem illam, quàm S. Bernardus serm. 42. in Cant. ait, *suaderi ab affectione seu charitate, non quam extorsit discussio veritatis* (& agnitio verorum defectuum in se existentium, quàm supra dixerat à veritate gigni), alteram verò à charitate, qualis fuit in Christo, qui se exinanivit & humiliavit, non necessitate iudicij, sed nostri charitatis. Poterat nimirum vitem se & contemptibilem de-

monstrare, sed planè non reputare, quoniam sciebat se ipsam. Voluntate promptè humilis fuit, & non iudiciorum, qui talem se quibus quidem nescit magis autem plura tui minimum reputari, qui se suam manum non ignorabat. Quanquam in seruis Deo humilibus, non ex solâ voluntate, & charitate (vti in Christo Domino, immuni ab omni peccato fuit) sed partim ex voluntate Dei, amore, & re verâ excitata, partim ex iudicio quodam captiuante intellectu, & persuadente iis suam vilitatem, omnibus maiorem, nascitur. Quem sensum humilitatis magis crescere in se experientur ij, qui maxime se vident proficere in virtute, & ij vel maxime, qui ex Diuinâ reuelatione sciunt se esse predestinatos, & se fore Sanctos, & in magnâ gloria in cælo, & se nunc esse in Dei gratiâ, Deo quæ valde charos. Noui ego aliquot in Italia tales in Societate nostrâ, certus sum (vti ab ipsismet scio) eos talem humilitatis sensum de se habuisse, eos sibi maxime displicuisse non alios, etiam vix aliquando sibi se agnoscerent in aliquod lenissimum & indeliberatū veniale peccatum, & extraordinariis virtutibus, & aliis Dei donis miraculosis se cernerent veluti obrui à Diuinâ liberalitate, quâ se indignissimos agnoscebant, vsque ad eò, vt non tantum fuerint liberi à tentationibus vanæ gloriæ, sed senserint in se quandam sensibilem & positam repugnantiã ad vanam gloriam, & quandam veluti impossibilitatem moralem ad eam acceptandam, vsque ad eò, vt quodammodo facilis illis fuisset vanam complacentiam habere, de donis concessis Sanctis magnis sui Ordinis, quàm de iisdem vel maioribus aliquibus donis, quæ in se videbant, sibi à Deo, præter omnia sua merita, esse concessa & in dies augeri. Quam impossibilitatem ad vanam gloriam, expresse ait reperiri in quibusdam humilibus S. Diadochus c. 95. de perfect. Et S. Teresa se habuisse ait in Relatione de sua vitâ quàm citat Iepesius Episcopus Turriafonen. l. 3. c. 7. eius Vitæ. Et ita in Apostolo Paulo erat cognitio Dei, donorum, quæ per eum faciebat, maior, quàm de aliis, cõiuncta cum humilitatione sui infra alios. Nam 2. Cor. 12. 5. ait, *Existimo me nihil minus fecisse à magno Apostolo.* Et c. eodem v. 23. comparans se aliis Apostolis ait, *Ministri Christi sunt, plus ego.* Et c. 12. 11. *Nihil minus fui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli;* & statim anteponeus eos sibi subdit: *Tametsi nihil sum;* & mox enarrat signa, & prodigia, & virtutes, tanquam signa eius Apostolatus: Et tamen vocat se 1. Cor. 15. 9. *Minimum Apostolorum;* etiam statim conferens se Apostolis omnibus quorum ibi meminit omnium, subdit: *Abundantius illi omnibus laboraui.* Pondera has antitheses.

Sic S. Bernardus serm. 5. in dedic. Ecclesie, dicit, *nos nihil esse contra Deum, sed non sic in Deo; nihil nos esse in iudicio veritatis, sed non sic in affectu pietatis Diuinae;* id quæ illustrat dicto Apostoli Gal. 6.

Qui se putat aliquid esse cum nihil sit, ipse se seducit cum tamen in Deo nos aliquid esse, pateat ex dicto Job 7. Quid est homo quia magnificas eum, & apponis erga eum cor tuum. Quomodo nihil, erga quod appositum est cor Dei? Ita Sancti sunt nihil in propria estimatione, sed pleni virtutibus ex Dei dignatione: ob suum nil se humiliant, & ob virtutes Deo gratias agunt. Et post alios magnos Sanctos excellit quoque hac in re noster S. Ignatius, qui vti scribit Ribad. l. 5. c. 1. presentem diem cum heretico conferens, & cum profectu profectum, etsi longius se quotidie profectum, & ardentioribus inflammatum studiis in dies reperiret, tamen vti idem scribit l. 5. c. 3. per multos annos antequam ad vitam decederet, nullam inanis glorie cogitationem habuit, imò verò vsque ad eam erat luce Divinà persusus, suig. perfectè cognitor atque contemptor, vti nullum se vitium dicere minus extimescere, quam vanitatis & gloria inanis. Et P. Polanco dixit, vti in Gloria S. Ignacij dicitur c. 7. Si Sancti non habuerint plura dona iis, quae de illis leguntur, cum nullo mutarem dona à Deo mihi data, ille tamen nullum sibi displicere è domesticis, nisi se vnum dicebat.

De S. Pachomio in eius Vita c. 37. scribitur, post narrata quaedam eius miracula: alius quoque sanitates plurimas in virtute Spiritus sancti vir beatissimus faciens, non extollebatur, nec vquam cor eius elatum est.

Magna & rara profectio virtus est, inquit S. Bernard. l. 15. in Cant. Vt magna licet operantem magnum te nescias, & manifestam omnibus, tuam te solum latere sanctitatem: mirabilem te apparere & contemptibilem reputare. Hoc ego ipsis virtutibus mirabilis iudico. Apprehendendo enim infinitas Dei perfectiones, vti ob eas summo benevolentiae affectu feruntur in Deum, ita comparando se illis, agnoscunt infinitum quoddam nihilum suum. Et ita bene scripsit S. Macarius hom. 10. Anima, quae verè Deum & Christum colit, etiam si infinita iustitia opera eviderit, ita se habet, perinde ac si nihil egisset, propter inexplebile desiderium, quod habet erga Dominum: quae licet ieiunius aut vigiliis corpus consumpserit, ita affecta est, ac si nondum quidquam age. & cepisset, quod ad virtutes pertineat: etsi varia Spiritus charismata, aut revelationes, ac mysteria caelestia consequi meruerit, propter immensam & insatiabilem erga Dominum dilectionem, ita se gerit apud se, ac si nihil adhuc obrineret; beneficio spirituali & ineffabili luminis, in eo, per certitudinem fidei plene demersa. Idem alio in loco hom. 12. Cum proposuisset interrogationem, quomodo quis possit esse pauper spiritu (hoc est de se humiliter sentire) cum senserit se profecisse, ad noticiam demique & intellectum peruenisse, quem antea non habebat.

Respondet, iustum & electum Dei, doceri à gratià pauperem esse spiritu, vti qui de se nihil existimet, sed animo sit vilis & abiectus, tanquam nihil habens aut sciens, quamvis multa habeat & sciat. Num videt quod Pater noster Abraham, cum esset electus, ter rati-

& cinerem seipsum nominabat? Gen. 18. 17. David etiam vnctus in regem, Deum habebat secum: quid tamen ait? Vermis sum, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebù. Plal. 21. Hoc prestat lumen Divinum, quod Deus communicat, dum alicui communicat profundam humilitatem, per quam se reputat eum Dei donis tanquam alium ferentem saccum plenum auro & lapidibus pretiosis, vel sterquilinum habens in se defossum iagentem thesaurum alienum, quem Dominus quando vult, potest repetere, & dedit non vt ob illum, te anteponas aliis, sed vt alienam pecuniã lucrum queras, iuxta parabolam de datis talentis. Pulchre hoc explicauit S. Macarius hom. 15. tractans de vili seruo tum Dei opinione de se. Sunt, inquit, in metu cum gaudio & exultatione: sunt denique velut homines gestantes in manibus suis sanguinem suum, non confidentes in se metipsis, aut existimantes se aliquid esse, sed vt qui nullius momenti & relictij habentur apud omnes homines. Quemadmodum si Rex apud quendam egenum, thesaurum suum deponat, is qui accepit custodiendum, non reputat illum vt suum, sed vbique fatetur mopiam suam, nec audeat dispergere quippiam ex alieno thesauro; semper hoc habens in animo, quod non solum thesaurus est alienus, sed, quod rex & vir summe potentia deposuit illum apud me, qui quando volet, à me repetet. Eiusdem debent esse sententia, qui gratiam Dei sunt adepti, nempe vt humiliter de se sentiant & mendicitatem suam constentent. Et infra sic scribit: Qui fruatur Deo, fatiorem nescit, quantoque magis eum gustauerit, ac ediderit, tanto plus esurit. & qui sunt eiusmodi irretenti erga Deum ardore ducuntur & amore, quantoque maiorem proficiendi ac crescendi diligentiam addibent, eo magis se existimant egenos, tanquam egenos, & nihil possidentes. Hoc enim dicunt, nempe: Non sum dignus vt sol iste mihi illucescat. Hoc reuera signum est Christianismi, ipsa videlicet humilitas. Similiter S. Diadochos, Noti, inquit, ego quendam, qui tamesi iugeret quod non vt vellet Deum amaret, tamen ita Deum amabat, vt eius animã huiusmodi desiderio vehementer continenter teneretur; ita vt Deum quidem gloriã afficeretur in eo, ipse verò esset quasi nihil. Qui talis est neque cum verbis laudatur, se cognoscit, quid sit, siquidem praeminio humilitatis desiderio dignitatem suam non cogitat, cum aliqui minifret quidem Deo, vt lex praescribit Sacerdotibus, ob studium tamen diligendi Deum obrepit ei obliuio dignitatis suae occultandi in profundã erga Deum charitate, per spiritum humilitatis gloriationem de dignitate sua, vt iam sibi cogitatione sua inuilit quidam putat omni tempore videatur, quasi à dignitate sua alienus praehumilitatis desiderio. Et ex eodẽ lumine, quod adfert habitus humilitatis, agnoscunt in se specialia quadam & non vulgari claritate, quod ex se nihil sunt, & nihil possunt, & nihil merentur, & contra cognoscunt intimè se ob suum nihilum physicum (quod habuerunt antequam crearetur homo, & antequam illi conciperent in utero matris) & ob hoc iudicant se nullãre dignos:

gnos: ob aliud verò nihilum morale, id est, peccatum, ut appellatur à S. Augustino, cognoscunt valde clarè, se positivè esse indignos omni profusus bono & dignos omni malo pœnæ. Ideò non tristantur, sed gaudent, extare infernum & purgatorium, ut in eo peccata eorum puniantur, si non vtantur mediis, ad euadendum has pœnas, ut ita Deo offenso satisfiat. Imò vi eiusdem luminis, cognoscunt clarè, tam magno intervallo se distare ab infinitis Dei perfectionibus, ut præ amore vilipensionis suæ propter Deum, optent etiam in cælis (si id Deo placeret) vilipendi, & ne ibi eorum quicquam aliud, præter sola peccata, ad confusionem saltem materialem videantur, & contenti sint, ut Deus eos etiam post remissa peccata omnia, detrudat ad pœnas æternas inferni, si id foret cum eius gustu, & ideò propter Deum illi donant omnia sua iura ad hæreditatem cælestem, contenti illà carere, & inferni pœnas pati, si ea esset Dei voluntas. Huc animi sensum, tales sentiunt, cum quadam feruenti iucunditate, & quiete animæ inenarrabili, etiam in corpore redundante.

cap. 91.

Sic hoc explicat S. Diadochus: Res est difficilis ad comparandum humilitas: quò enim maior est, eò est vsus eius laboriosior: duobus verò modis ab eis comparatur, qui sunt cognitionis sanctæ participes. Cum enim in studio pietatis certat in medio spiritualis experientia est tunc, aut propter imbecillitatem corporis, aut propter eos, qui virtutis studiosis summe maleuoli sunt, aut propter prauas cogitationes modesti ac summissius quodammodo de se sentit. Cum verò mens à sanctà gratià in multo sensu ac plenitudine illustratur, tunc enim veluti naturalem habet humilitatem. Facta enim plenior & quasi pinguior per Diuinam gratiam; non potest amplius timore cupiditatis gloria efferi, quamuis perpetuò mandata Dei persiciat: quin potius inferiorem se omnibus ducit, propter submissionis suæ & Diuinæ modestiæ communionem. Est autem illa quidem humilitas vltimum in dolore & mœstitià; hæc verò in latitià cum pudore quodam prudentissimo. Quocirca illa quidem iis qui in medio certamine sunt, aduenit, hæc verò iis mittitur, qui perfectioni appropinquant. Ob hanc causam illi quidem se penumerò secunde res huius vite explorant: altera verò, tametsi quis omnia regna mundi ei afferat, neque stupet, neque admiratur, neque profusus vehementer iaculat peccati sentit. Totæ namque spiritualis facta, honores & glorias ad corpus pertinentes nescit.

Quocirca meritò S. Teresa c. 5. vitæ suæ versus finem sic scribit: Quando est Spiritus Dei, opus non est, ut quis inuestiget res ad inueniendam humilitatem & confusionem sui ipsius, siquidem Dominus eam dat diuerso modo, ab illo, quo nos eam possemus acquirere consideratiunculis nostris, quæ nullæ sunt, si consecrantur cum humilitate illà & luce, quam docet Dominus, quæ generat quandam confusionem, à quâ anima quodammodo desicit, annihilatur (sa strugger l'anima.) Hæc res est notissima, quàm magna & clara sit cognitio, quam dat Dominus, ut cognoscamus, quomodo nil

boni habeamus à nobis ipsis. Et tantò magis quòd maiora sunt bona. Dum ad legendum hæc verba ex libro S. Teresiæ, illum è mensa cum impetu arripuissè Nesuisij in Collegio coram P. Tertij anni, anno 1635, & ligula libri traxisset clepsydram Italicam (quam postea petenti Zachariæ Obuchovvitz Professori Rhetoricæ ibidem dedi) quam inaduertenter collocaram supra illam ligulam non hirsutam sed leuem, tota clepsydra hebeno inclusum quadrantem, & mediam horam continens, pependit in aère, superficietenus tangens ligulam sine vllà conuolutione sili, aut rei alterius hispide, aut glutinosæ, vno verbo sine vllà causa naturali quæ pondus duplicis clepsydræ pendentis naturaliter sustinere posset, sine vilo naturali sustentaculo & retinaculo in puro aère: donec P. Iacobus Kolluc accurrat, & clepsydræ pendentem accepit, ligulâ tamen illâ non sequente motum clepsydræ. Vnde agnouit, hanc doctrinam Deo placere & veram esse, quam ex nullo libro didiceram, sed postea quæsiui authoritates ad eius confirmationem, & inueni S. Teresiæ dictum illo ipso anno 1635, Nesuisij.

Atque ita S. Climacus gr. 25. ait esse nonnullos, qui ex ipsis Dei donis, quantumlibet in eis profecerint, semetipsos humiliant, seque indignos huiusmodi diuitiis existimant, sicq; afficiuntur tanquam debitis suis quotidie adiuciant. Ita planè euenit. Nam, ut ait S. Dorotheus ser. 2. Viri sancti quàm magis adherent Deo, & illi propius accedunt, tantò se magis peccatores agnoscunt & deteriores ducunt. Pulchrè hæc de re S. Diadochus, cap. 95. ait: Cum mens à sanctâ gratià in multo sensu ac plenitudine illustratur, tunc anima veluti naturalem habet humilitatem; facta enim plenior, & quasi pinguior, per Diuinam gratiam non potest amplius timore cupiditatis gloria efferi, quamuis perpetuò mandata Dei persiciat, quin tota inferiorem se omnibus ducit, propter submissionis suæ & Diuinæ modestiæ communionem &c. Hæc humilitas iis immittitur, qui perfectioni appropinquant. Memini, inquit S. Dorotheus ser. 2. cum aliquando de humilitate verba faceremus, & quidam ex illustribus viris Gazensibus audiret nos istuc ipsum asserentes, nimirum, quàm quis Deo propius adheret, tantò se magis peccatorem agnosceret & predicaret, admiratione illum & stupore affectum dixisse: Quomodo fieri hoc potest? ignorabat enim, & volebat addiscere. Tum ego illi aio: Dic mihi, obsecro, preclare Domine, quem locum habes in tuâ ciuitate? ille verò respondit: Magnam quidem, & principem locum teneo in ciuitate meâ. Dico illi: Si fortè Casaream iueris, quem ibi locum obtinebis? vltorem, inquit, atque peiorem omnibus qui ibi degunt. Tum ego, Si verò, inquam, Antiochiam perrexeris, quem te ibi faceres? Cui ille, ut rusticum ceret me haberem, & sempaganiam: Quòd si ad Regiam ciuitatem, inquam ego, perrexeris Constantinopolim, quem te ibi putares? Ceret, inquit, ut mendicum & pauperem me existimarem. Tum ego illi, Ecce, inquam, ita se habent viri sancti, quàm propius & vicinius ad

Deum

Deum accedunt tanto se viliores aspiciunt, & peccatis magis onustos. Cum Abraham videre Deum meruisset, terram se vocauit & cinerem. Esaias autem dixit: Miser ego & pollutus sum &c. Sic S. Basilius hom. 15. de Fide. Quando, inquit, Abraham & Moyses Deum videre quantum fas erat homini potuerunt, tunc maxime yterque se humilem tenuerunt, putauit. Abraham enim se puluerem & cinerem nominans; Gen. 18. 27. Moyses se, lingua balbum ac sermone tardum appellans. Vnde Cassianus lib. 12. c. 15. de Sanctis antiquis loquens, ait: Quibus hoc precipuum, sui cordis acquisita puritas, conferebat, ut magis magisque deprimi peccatis agnoscerent, tanta namque in eis delictorum compunctio per dies singulos augebatur, quanta puritas animi proficisset. Nimirum, ut in artibus multa peccantur, quae nisi valde periti non satis cernunt, sic in vita multa delinquimus, quae nisi perfecti videre non possunt. Ut enim in sole multa cernimus quae fugiunt aspectum, sic tui valde Deus illuxit, multa percipit, quae alios latent. Dat etiam Spiritus sanctus scientia lumen, inquit S. Bernardus ser. 2 de Pentec. Ut cum omnia bene feceris, te seruum inutilem putes. Hinc cum Maria esset per Angelum veluti desponsata Deo, tanquam Mater futura Filij Dei, & hac electione accessisset proximè Deo, & omnes Spiritus Angelicos sua dignitate superatura esset, vocauit se ancillam: Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum; non Matrem, sed Ancillam se appellauit, quia viliores titulum, quem sibi adscriberet non habuit. Humilitas eius id effecit.

Confirmatur tota haec doctrina insigni exemplo, quod refert S. Dorotheus serm. 2. Humilissimi, inquit, humilitas (quae se quis deteriore putet alius) nulli potest verbis exprimi, nullo sermone comprehendi, ut sese mortalium cordibus insinuet, & animis inuascatur humanis, nisi prius illam homo experimento didicerit. De humilitate quandoque verba faciebat Abbas Zosimas, aderat forte ibi Sophista quidam: Hic cum audiret quae dicebantur, velletque diligentius & exactius rem addiscere, ait seni: Dic, obsecro, mihi, quomodo te peccatorem existimas? an ignoras quantas habeas virtutes: num ignoras quod sanctitate polleas? & vides, & agnoscis, quod praecpta & mandata Diuina opere compleris? quomodo igitur cum horum obseruantissimus sis peccatorem te putas & vocas? Senex autem quid ad haec potissimum responderet haud prorsus inuenit, sed tamen ait: Quid ad haec tibi dicam ignoro, rem tantam ita se habere certo scio. Cui Sophista ex aduerso respondit. Vellem istud ipsum addiscere. Senex vero cum prorsus non inueniret, quomodo rem hanc expediret, illi persuaderet aut faceret satis, cepit in sancta simplicitate dicere: Non me perueres Sophista, ego certe ita sentio. Ego vero, cum senem illum ita haerentem, nec in promptu quoddam diceret habentem, viderem, aio ad eum: Nonne hoc est, ut ars Sophistica & Medicinalis, quae cum bene quisque didicerit & ad altum perduxerit, ex frequentatis illis alibus sensim inuascuntur habitus quidam, & Medico, & Sophista,

qui nec docere possunt, nec norunt dicere, quo pacto ad illarum disciplinarum habitum peruenierint. Sed anima ipsa paulatim, sine sensu, huiusmodi disciplinas & artes ex frequenti operatione, & exercitatione concipit. Eodem sane modo & de humilitate dicere possumus, nempe quod ex crebra Diuinorum mandatorum exercitatione & operatione humilis quidam affectus & habitus concipitur, & nascitur in anima, quod quidem exprimi sermone non potest. Ut autem Abbas Zosimas haec audiuit, gauisus est valde, & statim me comprehendit, ac dixit: Rem acu tetigisti, sic profecto res se habet, quem admodum tu dixisti. Curatus est autem Sophista, cum haec audisset, & rationem libenter admisit. Quamquam & hoc conferte potest ad non contemnendos eos, qui nunc non in tam bono constituti statu esse videntur, uti nos sumus, quod S. Augustinus dixit ser. 50. de temp. Nescimus quid quis futurus sit, quamuis sit aut iudeus, aut haereticus, aut paganus. Forte enim per misericordiam Dei conuertetur ad Deum, & inter Sanctos primum locum habere merebitur.

Et, ut ait S. Ioannes Climacus gr. 26. col. 15. Sicut vna saepe saeuilla ingentem flammam consumpsit, ita vnum reperitur bonum, quod magnorum scelerum ingentem multitudinem delere possit.

Quin & in caelo, ut ait Thomas de Kempis, 1. c. 6. Omnes Sancti quanto altiores in gloria, tanto humiliores in seipsis, & mihi viciniores & dilectiores existunt: ideoque habes scriptum, quia mittebant coronas suas ante Deum, & ceciderunt in facies suas coram Agno, & adorauerunt inuentem in sacula saeculorum.

#### CAPVT QVINTVM.

Præponuntur varij actus & motiua, per quae crescit habitus Humilitatis.

Cum per actus humilitatis acquiratur talis habitus generans in nobis, ut loquitur S. Climacus gr. 25. multitudinem ineffabilis luminis, quo agnoscimus uilitatem & indignitatem nostram, & quamuis possideremus perfectissimè omnes virtutes, quam longè adhuc à Deo distemus ad corroborationem & incrementum huius habitus, non potero ego, meliores modos & actus excogitare, nisi, quos P. Iulius Mancinellus lib. 1. suorum piorum affectuum & luminum, diuinitus ei collatorum pag. 54. 55. 56. sua manu scripsit, & composuit, mihi que donauit, quibus hunc titulum praefixit.

De humiliatione sui ipsius infra omnes creaturas.

Si rectè intelligeres tuam insipientiam, peruersitatem, iniquitatem, ineptiam, insensibilitatem, terrores, & timorositatem, vique iudicares te indignissimum inter creaturas Dei, & in hac vita tolerat.

Primo, insipientior es omni creatura, felicitatis

mentis & lapidibus, ceterisque insensibilibus, quomodo illa non cognoscens se, neque Deum, sunt tamen sua sorte contenta. & tu in nobiliori gradu constitutus non es contentus? Secundo, quomodo ille operatur secundum finem à natura sibi præscriptum, tu verò sapius operaris secundum tibi prohibitum & vitiosum finem. Tertio, quomodo illa obediunt, laudant, & glorificant Deum per occasionem, quam hominibus dant hoc faciendi, & secundum capacitatem naturæ absque ulla tergiversatione vel cessatione, tu verò in multis resistis Deo & illum inhonoras.

Secundo, Peruersor Gentilibus, quomodo illi non intelligunt res Fidei, & id, quod lumine naturali percipiunt sapè melius quam tu, obseruant. Secundo, peruersor es infidelibus Saracenis atque Mahumetanis, quomodo illi non intelligunt Mystera nostre Fidei, & in obseruatione sua secta diligentiores sunt, quam tu in verâ religione. Tertio, peruersor hereticus in hoc, quia illi non intelligentes veritatem doctrine Catholice, in suâ falsa religione seruentiores sunt, quam tu in verâ religione.

Tertio, Iniquior es publicis peccatoribus, qui suas sequuntur concupiscentias, quia non intelligunt peccati grauitatem & mundi vanitatem, verumtamen in humana ciuilitate & moralitate, & etiam in bonis secularibus publicis, vel domesticis, sunt te vitiores & meliores. Secundo, iniquior peccatoribus multo, quia non habent illam cognitionem & particularia auxilia, quæ tu habes, & interdum magis profunt, in querendo Dei gloriam & aliorum salutem. Tertio, iniquior es omnibus hominibus, quanquam de nullo, præsertim fidelium, in præsentem tibi constat esse in aliquo peccato, potest enim penituisse. Item de nullo tibi constat in præterito perpetrasse tam multa & adeo grauiora peccata, sicut certum tibi de te est. Item de nullo tibi constat accepisse tot bona & auxilia à Deo corporalia & spiritualia, & ita se ingratis gessisse contra illum.

Quarto, Ineptior es omnibus hominibus, quantum in omnibus prærogatiuis virtutibus, talentis siue habitatibus, & denique bonis corporalibus & spiritualibus: vides innumerabiles homines in præterito & in præsentem te longissimè antecellere & superare. Secundo, ineptior te ipso: quia in nullo opere naturali vel humano ita ineptus vel negligens fuisti sicut in operibus Diuini honoris & salutis spiritualis. Tertio, ineptior Demonibus & omnibus improbis hominibus, quoniam illi ad mala sibi & aliis paranda, aptiores, seruentiores & diligentiores sunt, quam tu ad bonum & salutem propriam & aliorum promouendam.

Quinto, Insensibilior lapidibus, quoniam adhuc nõ percipis spirituales sensus in oratione, & actus Fidei, Spei, Charitatis, & aliarum virtutum, quas in animâ habes infusas, erga Deum, & præsertim Fidei, tanquam granum sinapis, quâ posses montes transferre, & Charitatis erga Deum ex toto corde, atque viribus animi & corporis. Secundo, insensibilis, quia non percipis Dei præstantiam, & eius vim in te & in aliis, & attributa seu perfectiones Bonitatis, Sapientie, Potentie, Prouidentie & Iustitie, in omnes creaturas diffusas. Tertio, insensibilis, quia adhuc non sentis perfectionem, vel sat-

tem iustorum & electorum statum, neque Dei adoptionem, neque Diuini Spiritus inhabitationem, neque beatitudinis initiâ, scilicet Diuine puritatis, lucis, seruitutis, & amoris, suauitatis & pacis, gaudij & delectationis quasi ex Diuino fonte diffusiones.

Sexto, Terrenus, quia adhuc admixtus es terræ, & scorie peccatorum, non solum communium, & quasi necessariorum in præsentem statu, sed propria malitia infirmitatis & ignorantia. Secundo, terrenus, quia adhuc adheres affectu, multo rebus temporalibus atque terrenis. Tertio, terrenus, quia adhuc conuersatio tua non potest dici celestis, neque te commisisisti totum Spiritui sancto.

Septimo, Timorosus, quia adhuc non es dispositus ad moriendum. Secundo, timidus, quia non es aptus ad standum intrepidè ante Diuinum Tribunal supremi Iudicij. Tertio, timorosus, quia adhuc perfectam illam charitatem non habes, quæ pellit timorem, times etiam præteritas & presentes culpas & futuras, in quas adhuc incurere potes. Times penalitates innumeratas pro præsentem & futurâ vitâ. Times etiam, vitium amore vel odio Dei dignis habearis.

#### Quomodo homo dici valeat maximus peccator omnium.

I. Omnibus peccatoribus maximus peccator atque indignior ego dici possum, quia de nullo mihi constat, tam multa & adeo grauiora peccata commisisse, vel non penituisse, vel non satisfacisse, vel non plura bona opera fecisse, vel non Deum magis dilexisse.

II. Damnatissimus, qui sum in inferno, sum peior in hoc, quia inter eos multos existimo esse, qui non ita bene Deum, veritatem & peccati scditatem cognouerunt sicut ego, vel à Deo tot dona & auxilia specialia non habuerunt, vel tam multa & adeo grauiora peccata non commiserunt.

III. Demoniussimus, quia illis toties non peperit Deus, neque ipsi se Deo emendare promiserunt, aut fuit hoc concessum, nec Deo inseruire tot nominibus, sicut ego, sunt professi, neque in multa peccata inciderunt, ex iis quæ ego perpetravi.

#### Ad idem

I. Conser peccata tua cum peccatis Angelorum malorum, quomodo sunt expulsi à calo Empyreo.

II. Cum peccato primorum parentum, quomodo expulsi à Paradiso terrestri.

III. Cum peccato Epulonum, quando sunt expulsi ab hoc mundo in infernum.

IV. Cum peccatis eorum qui in die Iudicij condemnabuntur à Christo in infernum, scilicet propter immisericordiam in alios. Hæc omnia B. P. Mancinellus.

Illustrari potest hæc materia, præclaro quodam sensu P. Balthazaris Alvarez, quem ex eius illustrationum libello transcripsit in eius vitam P. Ludouicus de Ponte c. 39 §. 1. pag. 456. & 457. Cum, inquit, peterem à Deo Domino Nostro, vt cogitationes,

raciones, verba & opera mea pure ad suum Diuinum obsequium dirigeret: euigilanti mihi, & semidormienti quodam mane oblatum est quasi in momento, quod nunquam ego cogitare potuissem, & multo minus petere: nam nulla mea dispositione precedente, insignem quandam internum habui sensum, quod vita nostra spiritalis sit, tanquam pretiosissima tela aurea: & quemadmodum in ea non est exigua deformitas, quod filum aliquod rude crassumq; inseratur, nec paruum detrimentum, quod in excellenti & in pretioso panno, rudis & inepta aliqua raritas appareat: ita non exiguum dammum censendum est, mixtura proprietatum cogitationum, verborum, & operum, qua nos assumimus: ita, qua nobis Deus inspirat, quale est, quod vni cogitationi, quam Diuina Maiestas cordi nostro suggerit, nos admoveamus ex capite nostro duodecim, qua illam obfurent; & vni verbo, quod nobis inspirat, viginti quatuor inania, qua nos loquimur, adiungimus, effundendo nos ipsos sine causa & ratione: & vni operi, quod nobis imponit, quatuor, aut sex ex nobis ipsis addamus. Tela enim hac, vt pretiosa sit, texenda est Diuina cogitationibus, verbis, & operibus: quare ita, qua ipse inspirat, bonum aliud frustum, cum eius auxilio addere nos decet, vt tela crescat; ac ex huiusmodi mixturis rudibus ac crassis, non leue accipit detrimentum: nam in his externis & materialibus, sensum habemus apertum & acutum, qui in spiritalibus clausus est, & obtusus. Deducamus hoc ex rebus his externis: Certe non leuiter displicet, nostrumq; palatum offendit, quod post singulos bolos, ex fructibus alicuius patinae, aliquid inueniamus corruptum, & in botro, post singula bona grana, putridum aliud occurrat: quod si ita eueniret in omnibus, qua in mensa nobis apponuntur, surgeremus ex ea iudicantes non satis nobis fuisse prospectum. Similiter quod in vno lactucarum lecto, non nisi sex inuenirentur bona, & in pyro fructibus referat, duodecim tantum pyra essent apta, & in lateritio muro duodecim inueniri laterum ordines non agglutinatos, & in aliqua imagine, quam vel vnus defectus deformaret, nihil inueniri preter vnum aliquid, in eius facie bene depictum, & in charita valde alba & nitida post singulas voces, esse lituras & maculas. Hec non sunt exigua detrimenta, nec reddunt res parum viles. Tale igitur est anima malum, a qua Deus integram exigit puritatem, quod malum ex mixtura oritur cogitationum, verborum, & operum, qua progenies sunt propria voluntatis cum deberent esse Diuina. Non est malum hoc formidanti oblatum, sed verbum ab ore Dei prolatum; quod nobis obicit, quod vniuersa iustitia nostra sunt quasi pannus menstruatus, & abscondit faciem suam a nobis. Nec hoc est maximum malum, sed secundum accidit, quod talis vita modusq; agendi nosler, non humiliter nos, cum tamen similis agendi modus Patres nostros humiliauerit, vt ait Dauid, nec facit nos interius erubescere in conspectu ipsius Domini. Artifices illi, quos nominamus Murarium, pictorem, & scribam, valde erubescere, coram quibuscumque etiam vulgaribus hominibus, ipsorum defectus aduertentibus, & nos non erubescimus, coram tanto Domino. Ille non est nobiscum contentus, & nos sumus etiam latius & pacati. Ea

est nobis frons mulieris meretricis, nolimus erubescere. His terrium accedit malum, quod tot mala, & mixtura adeo vili non sufficiat ad nos humiliandos, cum tamen vel modicum bonum, quod facimus abunde sufficiat, vt manere extollamur, & vel illud modicum, si non omnino pereat, saltem sit etiam offuscatum. Vel vnum granulum auri, quod videmus in luto, particula alicuius gemmae sive recta flos aliquis multis spinis stipatus, pulchra sunt bona, sed fatidus & rebus abiectis admixta; quid turpius, aut quid magis contemnat cor nostrum: Sensum hunc miseria nostra Deus illi est largitus, quo ille se valde humiliabat, & in suis oculis erubescere. Et in eundem finem magnum alium dedit illi sensum recogitanti de suis defectibus sub hac similitudine: Quando tandem scies mundum scribere, & sine litteris, quando equaliter lineas duces ac rectas: quando bene characteres efformabis, celeriq; manu scriberis quasi dictum sibi existimaret: Adhuc es infans & tyro in virtute: nec didicisti rem aliquam facere perfecte.

Proderunt quoque ad nos humiliandos illa que Thomas de Kempis li. 4. c. 7. n. 2. commemorat tanquam a Christo Domino dicta: Ingenitice & dole, quod adhuc ita carnalis sis & mundanus: tam immortificatus a passionibus: tam plenus concupiscentiarum motibus: tam incircoscitus in sensibus exterioribus: tam sepe multis vanis phantasias implicatus: tam multum inclinatus ad exteriora: tam negligens ad interiora: tam leuis ad risum & dissolutionem: tam durus ad fletum & compunctionem: tam promptus ad laxiora, & carnis commoda: tam segnis ad rigorem & feruorem: tam curiosus ad noua audienda & pulchra intuentia: tam remissus ad humilia & abiecta amplectenda: tam cupidus ad multa habenda: tam parcus ad dandum: tam tenax ad retinendum: tam inconsideratus in loquendo: tam incontinentes in tacendo: tam incompositus in moribus: tam importunus in actibus, tam effusus super cibum: tam surdus ad Dei verbum: tam velox ad quietem: tam tardus ad laborem: tam vigilans ad fabulas: tam somnolentus ad vigilias sacras: tam festinus ad finem: tam vagus ad attendendum: tam negligens in horis persoluendis: tam tepidus in celebrando: tam aridus in communicando: tam cito distractus: tam raro plene tibi collectus: tam subito commotus ad iram: tam facilis ad alterius displicentiam: tam pronus ad iudicandum: tam rigidus ad arguendum: tam latus ad prospera: tam debilis in aduersis: tam sepe multa bona proponens & modicum ad effectum perducens.

Ad hoc quoque valet monitum S. Iohannis Climaci gr. 26. col. 3. Noli magnum sapere, & bono, neque eis diuitiis extolli, quas sine labore acquisiisti. Prescius enim Dominus largitor munerum, summi detrimenti atque imbecillitatis tue atque perditionis, vel aliquantisper te suis, gratis, absque vilo tuo merito, muneribus seruare decreuit. Pulchrum est & illud S. Bernardi serm. 13. Cant. Quis credat parietis se dicat parcurire radium, quem suscipit per fenestram. Aut si glorientur nubes, quod imbres genuerint, quis non irideat? Mihi aliquando constat nec de canalibus oriri riuos aquarum, nec de labiis vel dentibus verba

prudencia, est sensu vitæ corporeis non attingat. Nec  
lato calami, laudabile est pictura fac scripturâ, nec  
gloria lingua aut laborum sermo bonus. Tempus est vitæ  
& propheta loquatur. Numquid gloriabitur inquit,  
securus contra eum, à quo trahitur? Quomodo si virga ele-  
uetur contra eleuantem se, & exaltetur baculus qui per-  
tinet lignum est, sic contra Dominum omnis qui gloria-  
tur, si non in Domino glorietur.

Hoc quoque suadet dictum S. Bernardi ser-  
72. Cant. in tempore & corpore isto, nulla nostra vir-  
tus ita ad purum defacata erit, & nulla ita suauis &  
inera, ut sponda habitus sit ad potandum. Sed qui vult  
dimitte homines saluos fieri, dissimulat inuita; & quod  
non potest potandi interim facilitate vitare, curat ex  
tâ vel quippiam elibere sapientum, quasi arte quoddam  
& quodam labore mandandi. Ecce 3. in die. Bech.  
Quid modo necesse est singulas anime miseriae nume-  
rare, quam sit oherata peccatis, obsusa aenebris, irruentia  
illecebris, priuans concupiscentiis, obnoxia passionibus,  
impleta illusionibus, prona semper ad malum, in vitium  
omne procliuis, postremo totius confusionis & ignomi-  
nie impleta? Nimirum si ipsa quoque iustitia nostra  
Ela: 6. omnes ad lumen veritatis inspecta, velut pan-  
ne mensuratae inueniantur, iniustitia deinceps quales  
reputabuntur? & lumen quod in nobis est, tenebra sunt,  
ipsa tenebra, quante erunt: Facile est, Matth. 6. cuique  
nostrum, si sua melius vniuersa & sine dissimulatione  
vestiget, & iudicet sine acceptione personæ, aresari  
per omnia Apostolica veritate, & libere proclamare.  
Gal. 6. Qui se parat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se  
seducit.

Vide, si libet, B. Laurentium Iustinianum, varia  
considerationes proponentem ad assequen-  
dam humilitatem de humil. c. 4. & de instit. &  
regimin. Prelat. cap. 3. col. 4. & de obedientia  
cap. 13. col. 4. & c. 13. col. 2. Addam ego hęc alias  
considerationes ex quodam libello, in quo ha-  
beo cuidam seruo Dei, multa lumina diuinitus  
data, ad discretionem spirituum, & praxim vir-  
tutum, ac extirpationem peccatorum & defe-  
ctuum, spectantia. In eo libro hæc dantur mo-  
nita, ad praxim humilitatis.

Primum est tale: Ad confirmandum magis vilem  
de te conceptum in hac donorum Dei quibus ornatus es  
multitudine, hoc etiam proderit, si cogites, Deum, ita  
procedere tecum, quemadmodum medicus cum egroto  
procedere solet, cui maiora & plura prescribere solet  
remedia quam alius, pretiosiores ac deliciasiores cibos  
&c. que tamen non tantum non ostendunt illum cere-  
ris, qui rebus huiusmodi carent meliorem esse sed potius  
deteriorem: ita multitudinem donorum Diminutionem  
tuae necessitati & indigentia, non sanctitati attribue,  
quasi Deus videns tuam maiorem fragilitatem, quam  
aliorum, pluribus te donis veluti sulcis voluit, ne a ser-  
uitio eius excideres, in grauissimâ peccata rueres.  
Omnia enim Dei dona sunt veluti preseruatua medi-  
cina, aut etiam sanatiua, & hominem magis confir-  
mant in seruitio Dei. Sicut ergo, qui ab alius adiutus,  
& in manibus aliorum gestatus, nunquam rueret, non

debet se alius præferre, qui per se incedentes, sine tor-  
amniculo, rueret, vitubarent interitum: ita si tu in te  
videri multa Dei dona, quæ in aliis, aut non sunt, aut  
non vides, illis præferre non debes, sicut filius prodigius  
alteri seniori se non anteposuit, ob vitulum pro se, non  
pro altero matatum.

Proderit etiam recordari dicti illius Salvatoris: Di-  
cite, Serui inuites sumus, Christus enim, qui indicat, vi-  
res sunt, discipulis suis etiam sanctissimè viuentibus  
(qui vt docet S. Thom. B. Virgine excepta, &  
forte S. Ioanne Baptista, omnes alios sanctitate  
superarunt) hoc sentire & dicere præcepit, inuites  
sumus id est, nihil valeamus. Vt ut quilibet iunior et  
iam donis Dei circumlatus, hoc ipsum saluâ veritate, de  
se fateri potest, quia summa Veritas, ita nos de nobis  
sentire præcepit.

Secundum Monitum eiusdem est hoc. Primum,  
quod ad humilitatem attinet, quæ fundamentum est  
omnium virtutum moralium & iustos, noua exercitia-  
rio in illâ hæc sit: Vt te peiorem reputes ipsi peccatori-  
bus actualiter peccantibus, hoc modo concipiendo in il-  
lis aliquos actus, saltem moraliter bonos, sine quibus  
nullus peccator, etiam pessimus, inuenitur. Nam si Ca-  
tholicus sit, saltem aliquem actum Fidei elicit ex  
Deum, qui habet rationem meriti de congruo, quam illi  
ille est in peccato mortali. Si enim Catholicus, habet al-  
quem actum bonum moralem circa obiectum bonum  
bonitate naturali, circa quæ bonitates vt tales sunt in  
se, non consideratis adiacentibus, quæ mala sunt: (scilicet  
persona cum peccato coniunctam sumpta) &c. Ver-  
satur actus simplicis complacentia Diuine, qui se ex-  
tendit ad amanda suo modo omnia bona ad extra, sicut  
intellectus ad cognoscendum omnia vera, dispari licet  
ratione: quia hic actus necessarius est, ille, non circa om-  
nia obiecta necessarius. Ex alterâ parte, concipiendo te  
vt peccatorem, multis peccatis in oculis Dei sedarum  
(quomodo non es obiectum Diuine complacentia vt  
peccator es) potes te illo peiorem existimare, quia me-  
lior est bonitas illorum actuum, saltem habitualiter  
remanens in peccatoribus eo modo quo remanet macu-  
la peccati, post actum peccati. Ideo hoc modo te peiorem  
reputabis peccatoribus actu peccantibus, in quibus ha-  
bitualiter remanet actus aliquis bonus, saltem bonitas  
naturalis & moralis. Deinde si quis esset (quod videtur  
incredibile) qui nullum haberet in se, nec habuisset vn-  
quam actum moraliter bonum post vsum rationis, cir-  
ca hunc, hanc rationem moralem considerare potes,  
quod scilicet sit is, pro quo Christus Dominus sangui-  
nem suum sanctissimum sparsit, & eum illi applicare  
paratus est. Hoc enim magni quiddam est, & qua-  
dam ratio moralis in homine digna magna estimatio-  
ne, dicit enim aptitudinem ad dona gratia & gloria.  
Conferendo autem hoc cum peccatis tuis, ea inuenies  
esse in se facta & abominanda & indigna vllâ estimati-  
one, ac proinde ob ea te quous peiorem reputabis et-  
iam actualiter peccante, quia pro illo qui actualiter  
peccat, etiam Christus mortuus est: & quantum est in  
se, paratus est applicare merita mortis sue, quibus ta-  
men indignus est ob peccati actuale impedimen-  
tum.

Tertium Monitum est huiusmodi. Ad honorandum quemvis & magnificandum, quamvis grauissimum deditum peccatis, hac inter alias cogitatio inducere poterit. Si consideres, in Aula Regie alicuius acerriuum aduersarium Regis reperiri, qui tamen fiat ab ipso Rege, ut is paratus sit ad recipiendum in intimam gratiam suam, illum aduersarium, omnesque eius phantasias tradendos, idque ipsum studiosissime quarat, sine dubio ceteri aulici, magnam de tali aduersario opinionem haberent, & quodam modo maiorem. Et saltem cum maiori admiratione, quam de alio Regis amico. Quid enim mirum est, à Rege suos amari, & ad se intronitari amicos? Certe mirum esset, ob eo aduersarium sibi nihil officere, & ualentium amicitiam quari. Ita cum Deum paratus sit, ad recipiendum in gratiam suam, etiam maximos peccatores, ad eam, modis tam variis eosdem inducat, quamuis nihil commodi vel incommodi recipere possit, certe magni estimandi sunt, & non contempnendi, quos Deus tantopere amat, & honorat, & pro quibus sanguinem suum effundi uoluit, etiam antequam illi nascerentur, ut suo tempore eius meritis adiuuari possent.

Quartum Monitum, inter alia, qua ad excitandum in te & aliis, confusionis & humilitatis ac feruoris effectum, magnam vim habere possunt, sunt considerationes earum actionum, in quibus alij homines occupantur, causa propria vel aliena uilitati, & aliquam saltem genericam similitudinem habent, cum iis actionibus, quas in obsequio Dei & nostrae curandae salutis exercemus. Considera te non amare tantopere Dominum tuum, id est, cum tanto desiderio, gustu, tam saepe, tam diu, cum tam frequentis cogitatione de hoc amore, cum tanta dolore ob intermissum amorem, quanto opere ab uno homine amatur alter, u. g. filius aut frater, aut coniunx, aut quod indignius est, una meretrix, cuius amor non tantum licitus non est, nec facilis, sicut est licitus & facilis amor Dei, ubique enim, & semper, & sine timore ullius mali, vel periculi, amare posses Deum, sed illicitus omnino & execrabilis.

Secundo. Non tantum, nec tam libenter pateris incommoda Religionis Missionum, quanta & quam libenter patiuntur mercatores, in itinere, milites in bello, suscepto incommodissimo anni tempore.

Tertio. Non ita te preparas ad colloquendum cum Deo in oratione, quemadmodum te preparas ad colloquendum cum aliquo Principe, vel cum populo in Conuisione, vel cum aliis in publica disputatione. Praesertim cum sit facilis bene colloqui cum Principe, quam cum Deo; ille enim actus uiribus natura elici potest; non ita hic, si fiat ut oportet.

Quarto. Non ita laboras, nec tot media queris ad placandum Iudicem Deum, pro admisis tot peccatis, morte aeterna dignis, de quibus est iudicandus tempore suo, quemadmodum laborant in carceribus, scientes se grauer deliquisse & ad iudicium educendos.

Quinto. Non tam serueniter petis à Deo, saltem ordinari, ea quibus indiges, quam serueniter petunt pauperes in plateis ea, quibus egent.

Sexto. Non tam serueniter petis à Deo res magis necessarias ad uitam aeternam pro te & pro aliis, quam

cum petis nimis necessarias, u. g. liberationem ab aliqua tribulatione imminenti, ingressum alicuius in Societatem &c.

Septimo. Non tam tanto desiderio & gustu queris perfectionem tuam, nec tot medijs efficacibus adhibitis, cum quanto gustu homines querunt Cardinalatum, Episcopatum, Abbatias, Capitaneatus &c.

Octauid. Non tam resolute fugis offensam Dei, & aliquid, quod displicet Deo, quam resolute fugi ea, quibus homines offenduntur, etiam sine tua culpa, u. g. ne ex eis facie confuscat à manibus satentibus, ueste luto infecta, & calcis laceris.

Nono. Magis erubescis ob peccata tua leuia, si ea sciantur coram hominibus, quam erubescis coram Deo ob graua, cum tamen contrarium esse debet: magis enim erubescendum est coram eo, qui impeccabilis est, quam coram iis, qui etiam multa peccata admiserunt, & admittere possunt.

Decimo. Non seruas se, si quis tibi prohibeat, ne aliquid facias quod sanitati corporis obesse potest, egrè fers, si quis te moneat, ne us aliquam re delinquas, quod sanitati animae, vel saltem pulchritudini aduersatur.

Undecimo. Non ita times iram, vel reprehensionem Diuinam post admissum aliquod peccatum, sicut times humanam, post admissum aliquod leue erratum.

Duodecimo. Non ita confidis nec speras in Deo, quando aliquid ab eo petis, quemadmodum speras in Patre tuo, si aliquid peteres ab eo, quod ille tibi tam facile concedere posset, quam potest concedere Deum.

Decimotertio. Non tam serueniter impedis, ne quis peccatum mortale committat, quam serueniter eum impedires si te uulnerare uellet.

Decimoquarto. Non applicas te ita ad acquirendam perfectionem ullius uirtutis, quemadmodum te applicas in studendo, ad acquirendam illam scientiam.

Decimoquinto. Cum maiori perfectione faceris quamlibet actionem tuam, si scires eam perfectissimè facta esse, cedendum illi tibi quod ualde desideras, uita temporalia & externa, quam facias, sciens pro ea perfectissimè facta, te acquisiturum unum gradum gratiae, & postea gloria, quamuis credas manus quid esse gratiae, vel glorie gradum, quam quamcumque, aliam rem, cuius desiderio teneris.

Decimosexto. Non tam multam proficis quotannis in uirtute, quam in studiis, & quam soleant mercatores in lucris &c.

Quintum Monitum Si cui Deus reuelaret, eum esse omnibus sanctiorem, & talem futurum ad mortem, duo motiua habet humiliandi se, plus aliis omnibus. Primo, titulo gratitudinis, quia uidet se magis obligatum & debitorem Deo ob beneficia plura, ac maioris gratitudo autem maxime humilitate debet ostendi, quia Deus sic uult Eccl. 3. 20. Quamuis magnus (id est maior) es, tanto humilia te in omnibus. Quod ipsum S. Gregorius docet hom. 9 in Euang. Lectio S. Euangelij, Fratres charissimi, sollicito considerare nos admoneat, ut nos, qui plus ceteris in hoc mundo accepisse aliquid

aliquid certum ab auctore mundi, grauius inde iudicatur. Cum enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Tandem ergo esse humilior atque ad feruendum Deo promptior quisque debet ex munere, quando se obligatiorem esse conspiciat in reddenda ratione. Secundò, titulo securitatis, ut tua sanctitas sit firmior: firmitatem autem præcipue humilitas præstat, quæ vocatur à Sanctis fundamentum virtutum, quod quantum profundius est, eo est firmitus adificium. Ideò monet S. Augustinus serm. 10. de verbis Domini: Magnus esse vir à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis: de fundamento prius cogita humilitatis: & quantum quisque vult & disponit superimponere nolem adificij, quantum erit maius adificium, tantò altius sedit fundamentum. Et fabrica quidem, cum constructur, in suprema confurgit, qui autem sedit fundamentum ad ima deprimitur. Ergo & fabrica ante celsitudinem humiliatur, & fastigium post humilitationem erigitur. Hæc tibi. Plura alia ad nos alii postponendos motiua, capite sequenti §. Notandum secundò inuenies.

Praxis autem huius actus humilitatis hæc esse potest sæpè in die, præsertim matutino tempore post somnum, & alias pijs exercitationibus expeditas, vel in medio earum, iterum in meridie post Salutationem Angelicam, & vesperi antequàm eas cubitum hos Actus elicies:

*Sanctissime & dilectissime Domine Deus & Pater meus, in vnione meritorum D.N. Iesu Christi, peto à te, ut per gratiam, & merita, quæ apud te habent incolæ huius Ciuitatis, & Prouincie, ac Regni, & totius mundi (quibus in spiritu me sustinere, tanquam pavimentum eorum, cupiens ab illis calcari & deprimi) miserere, & benedicas mihi omnimodâ tuâ benedictione celestium & in secula. Amen.*

Item excita in te aliquoties in die desiderium, ut contemneris ab alijs, præsertim à Superioribus, & postonaribus alijs.

In occasionibus verò contemptus tui, & dum videbis, vel audies, alios te inferiores, & uti tuo amori proprio videbitur, minoribus talentis & meritis, quàm in te sint, præditos, promoueri ad altiora & speciosiora, te neglecto & postposito, gaudeas, & ita semper tractari cupias, & magis ac magis te negligi & vilipendi, ac alijs postponi desideres, purè propter Deum, ut hoc tui vilipendio, & contemptu quàm maximè Deum exhilares & glorifices, & quodammodò propter eius amorem annihileres etiuiliter in conspectu hominum.

## CAPVT SEXTVM.

*An cognitio Dei donorum repugnet humilitati? & an vitanda sit?*

86. **Q**uoad cognitionem sui, quam debet necessario habere, de suâ vilitate, quam ha-

bet ex se quilibet, qui humilis vult esse, aliqua notanda sunt.

Notandum est primò: Non esse contra humilitatem cognoscere in se Dei dona, etiam maxima, etiam miraculosa, & ob quæ alij hominem pro sancto aliquem venerantur, imò pro fus omnia Dei dona, quæ Deus alicui conferret, in altissimo omnium virtutum, & summæ perfectionis gradu, qui in hac vitâ haberi posset.

Instituto dissertationem hac de re, quia ante multos annos, incidi in quendam Religiosum, valdè prudentem, spiritualem, mortificatum, & doctum, & multorum annorum præcipuis in suo Ordine muneribus, etiam regendi alios, perfectum, & in magnâ apud homines opinione existentem, & innumerorum, ut ita dicam, hominum, in rebus conscientie ac spiritualibus Magistrum & Directorem primarium, apud omnes in maximâ virtutis, prudentie, & experientie, rerumque spiritualium opinione, Hunc, inquam, tantum virum (pridem etiam mortuum) inueni in hac opinione mordicus fixum: Quod sit contra humilitatem, cognoscere in se Dei dona, præter communia multis, qualia sunt, Fides in Christum, & alia Fidei mysteria, vocatio ad sacerdotium, vel Ordinem aliquem Religiosum, & his similia. Contraria tamen sententia certissima est, & sine temeritate magnâ negari non potest, & sic probatur à me

Primò ex Scripturâ, ex illis Apostoli verbis 1. Cor. 2. v. 12. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. At, qui scit Dei dona in se, cognoscit ea; ergo debemus ea, saltem possumus, agnoscere, hortante Apostolo.

Secundò, idem probatur exemplo Christi Domini, quia is, & scientiâ Diuinâ, & beatâ, & infusa cognoscebat Dei dona in se perfectiùs quàm vllus homo, ob maiorem perfectionem scientiarum variarum, quas in se habuit. Et tamen erat humillimus. Ergo non repugnat humilitati cognoscere in se Dei dona.

Tertiò, idem ratione probatur: Vult Deus nos esse gratos, & gratias ei agere pro omnibus beneficijs & ob illa eum amare. Atqui nullus potest seriò gratias agere, & amare Deum, pro beneficijs quæ non cognoscit. Ergo cognoscenda sunt. Et quia vna virtus est connexa alteri, & sine alijs non potest esse perfecta, vti est communis doctrina SS. Patrum & S. Thomæ 1. 2. q. 65. a. 1. ideò cognitæ virtutes, nobis à Deo datæ, excitant nos ad gratias agendas Deo, pro illis, & nihilominus occasione virtutum, in nobis à Deo nobis datarum, & nostrâ indignitate, humiliamus nos Deo, tanquam indigni illis virtutibus. Ad quod propositum conducit præclara sententia S. Theodori Studite dicentis serm. 83. *Tantum in nos clementis Dei beneficium est.*

*tantag, liberalitas, vt periculum fit, ne bonorum igno-  
ratione iniuriam beneficio faciamus.*

Quarto probatur exemplis Sanctorum, qui dona Dei etiam miraculosa, agnoscebant in se (hac enim maxime possunt esse occasio cogitationum & affectuum contrariorum humilitati) & agnoscebant ea sine peccato & imperfectio-  
ne. Imo quandoque eorum agnitio & commem-  
oratio, facta coram Deo, placuit Deo, & sic ea commemorantibus profuit.

Porro, vt omittam alia huius rei exempla in sacris litteris expressa, quae commemorabo infra c. 10. in quo demonstrabo non tantum in se cognoscere, sed etiam aliis manifestare eximia Dei dona, non esse contra humilitatem, hoc loco pauca talia exempla adferam de sola cogitatione Dei donorum.

In primis celebre est illud Ezechiae Regis sanctissimi, qui cum cognosceret bonum animae suae statum, magnis virtutibus plenum, non dubitauit hoc ipsam coram Deo commemorare, & eius commemoratione flectere cor Diuinum ad concedendam sibi, qua indigebat, sanitatem: *Obsecro Domine, memento, quae, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim.*

Quae verba ad eruditionem nostri non in vno tantum loco Spiritus sanctus in Scriptura extare voluit, sed in duobus lib. 2. Paralip. 32. 49. & Isai. 38. 3.

Placuisse autem Deo hanc Ezechiae orationem, cognitione donorum ei concessorum imbutam, patet ex tribus: Primo, quia statim finita hac oratione, a Deo exauditus est, & sanitatem optatam recepit. Secundo, quia in signum exauditionis miraculosum solis vel solaris radij regressum aspexit, vti in iisdem Scripturae locis narratur. Tertio, quia a Spiritu sancto mirifice eius vita commendata est, 4. Regum. 18. 3. inter alia: quod adhaerit Domino, & non recesserit a vestigijs eius, feceritque mandata eius, quae praeeperat Dominus Moysi. Vnde erat Dominus cum eo, & in cunctis, ad quae procedebat, sapienter se agebat. Quibus laudibus accesserunt eiusdem laudes admirabiles 2. Paralip. 31. vers. 20. 21.

Simili modo ferè omnes alij Sancti, quorum Vitae legimus, omnia illa Dei dona, quae vel Superioribus aut Confessariis, vel familiaribus suis patefecerunt, & quae non nisi ab ipsis solis sciri & narrari poterant, quippe interna & occulta, & nullo externo signo patefacta, necessario prius in se cognouerant, & tamen humillimi fuerunt. Commemorabo aliqua utique huiusmodi exempla.

S. Ioannes, Abbas laudatus à S. Hieronymo, & S. Augustino, & alijs, & in Martyrologio Romano 27. Mart. positus, ibique *magne Sanctitatis vi & prophetico Spiritu plenus* appellatus, agnoscebat in se hoc donum, quod apud illum, in-

quit Rufinus ei familiaris, ita habebatur, vt magis hoc illorum qui percontabantur, quam suis meritis adscriberet. Dicebat enim non pro se hoc, sed pro illis qui audiunt à Domino pronuntari. Eadem si ceteritate, vxori cuiusdam Tribuni militum se videre cupienti, potestatem non fecit, et si valde à Tribuno rogatus, tamen tam fidem quam importunitatem eius aspiciens, Vade, inquit, videbit me conuicta hac nocte, non tamen venit hic, sed in domo sua atque in lecto suo manebit. Et ita contigit, & scribitur quoque à S. Augustino lib. de cura pro mortuis cap. 16.

Hoc mirabilis est quod de humillimo S. Antonio scribitur in vitis Patrum L. 5. libel. 17. nu. 3. Rosveydus p. 632. 3. Abbas Ammon de loco Nitrius, venit ad Abbatem Antonium, & dixit ei: Vade, quia maiorem laborem, quam tu sustines, quomodo nomen tuum magnificum est in hominibus super me: Et dixit ei B. Antonius: Quoniam & ego diligo Deum plus quam tu.

S. Romanus Abbas, teste S. Gregorio Turonensi in Vitis PP. c. 1. fin. Cum Lupicino Abbati fratri suo germano dixisset: Dic mihi, in quali monasterio vis tibi parari sepulchrum, vt simul quiescamus: qui ait: Non potest fieri vt ego in Monasterio sepulchrum habeam, à quo mulierum accessus arceatur. Nosti enim, quid mihi indigno, & non merenti, Dominus Deus meus gratiam tribuit curationum, multaq; per impositionem manus meae ac virtutem crucis Dominicae aduersis languoribus sint crepti. Erit autem concursus ad tumulum meum si ab hac luce migrauero. Idcirco, eminus à Monasterio in monte paruo sepultus est, super cuius deinceps sepulchrum magnum templum adificatum est. In quod ingens frequentia populi diebus singulis accurrit. Multae enim virtutes ibi in Dei nomine ostenduntur. Nam & caeci lumen, & surdi auditum, & paralytici gressum plerumq; recipiunt. Ita hic S. Romanus, non tantum viuens gratiam curationum in se agnouit, sed etiam eam post mortem suam habiturum corpus praedixit. Quod alios quoque Sanctos de suis post mortem miraculis futuris, praedixisse historiae Ecclesiasticae testantur.

S. Gutlacus Confessor: Surius 11. April. Cum ad eius iussum hirundines & cetera aues eremi, pisces etiam stagni alacriter ad eum accederent, & ferae ac siluestres animantes mansuescerent, & vir quidam ab illo sciscitaretur, vnde esset tanta illarum animi confidentia & intrepida apud ipsum habitatio, respondit: Qui toto corde fugie consortia hominum, ei non solum ferae & volucres, sed cetera quoque omnia solatio sum; atque insuper nunquam ei blanda deerit consolatio Angelorum. Agnouit ergo se ex toto corde fugisse consortia hominum, & ita promeruisse apud Deum auium & feratum ad se accessum.

S. Catharina Senensis moriens, inter alia monita, quae suis filiis & filiabus spiritalibus reliquit, fuit de charitate & concordia, quam si seruarent, promissit se illis impetraturam tantam abun-

abundantiam Spiritus & gratiæ, quantam ipsa largè receperat, bonitate Sponsi sui, vt scribit B. Raymundus & Catharinus in eius vitâ l. 3. c. 23. De S. Bernardo in eius vitâ sic scribitur: *Cum viri sancti signa magis magisq; crebrescerent & multiplicarentur in dies, non praterendum, quidnam ipse inter hæc animi gereret, qui à Christo humilitatem cordis & mansuetudinem didicisset. Disputans enim secum in cogitationibus suis, & ex ipsa demum locutus abundantia cordis sui, domesticis sibi, religiosis quibusdam Fratribus aiebat: Plurimum miror, quidnam sibi hæc miracula velint, aut quid visum sit Deo talia astitare per talem. Nil mihi videor in sacris paginis super hoc genere legisse signorū. Si quidem facta sunt aliquando signa per sanctos homines & perfectos, facta sunt & per fctos; ego mihi nec perfectionis conficius sum, nec fctioris. Scio enim Sanctorum mihi non suppetere merita, quæ miraculis illustrentur, confido autem nec ad eorum sortem me pertinere, qui virtutes multas in nomine Domini operantur & à Domino ignorantur. Hæc & huiusmodi crebrius secretinuscule cum viris spiritualibus conferebat. Nouissimè vero opportunum sibi met visus exitum reperisse; Scio, inquit, huiusmodi signa, non ad sanctitatem vnius, sed ad multorum spectare salutem, & Deum in homine, per quem talia operentur, non tam perfectionem considerare, quam opinionem, vt in eo commendet hominibus, quæ illi creditur inesse, virtutem. Neque enim pro eis fiunt hæc, per quos fiunt, sed pro eis magis, qui vident illa vel sciunt. Nec eo sine per eos ista Dominus operatur, vt ipsos probeet ceteris sanctiores, sed vt ceteros magis amatores & amulatores faciat sanctitatis.*

Leo decimus in Bullâ Canonizat. S. Francisci de Paula, refert, cum quidam Cubicularius Põtificis, exploraturus virtutem Francisci, eum inuiferet, Franciscum ardentes prunas, absque læsione, manibus arripuisse & dixisse: *Qui perfectò corde Domino seruiunt, omnia illis creata obtemperant. Agnoui ergo fe perfectò corde Domino seruire, quia etiam ignis, eum non lædendo, ei seruiuit. Similia ex simili occasione dixit noster P. Ioseph. Anchieta pag. 179. vitæ seu lib. 2. §. vlt.*

S. P. Ignatius præsentem diem cum hesterno confers, & cum profectu profectum, longius se quotidie progressum, & altioribus inflammatum studiis in dies reperiebat; teste Ribadencir. in eius Vitâ l. 3. c. 1.

Idem Iacobo Layni aliquoties dixit in Diuinis rebus habere se passiuè magis quam actiuè, qui supremus gradus ab eis traditur ac perfectissimus, qui de contemplandi ratione scripserunt. ibid.

Idem dicebat persuaderi sibi non posse, hæc duo simul coniuncta, in vilo hominum tam valde reperiri, quam in se, vt in Deum videlicet esset quis ingratus, & à Deo tam multa tamq; magna quotidie beneficia acciperet.

Idem per multos annos, antequam è vitâ decederet, nullam inanis gloriæ cogitationem habuit, nullumque vitium dicebat minus extimescere, quam vanitatis & gloriæ inanis. c. 3. ibid.

Idem aded magnam de Sanctis opinionem habuit, vt ea quæ de ipsis scripta leguntur, minor illorum virtute diceret, & addebat se donia cum nullo Sanctorum sibi diuinitus data commutatutum, si ipsi nihil plus habuissent, quam id, quod de illis scribitur, & in eorum vitis habetur. Hoc legi in vitâ B. Patris manu scriptâ quæ asseruatur in Archiuio Romano.

S. Teresa, vt scribit in eius vitâ noster P. Ribera libr. 4. c. 14. dicebat ad confidentiam magnam, quam erga Deum habebat, se valde adiutam, cognitione magnorum donorum Dei sibi factorum; quæ nisi cognouisset, non suscepisset magna opera pro Dei gloriâ. Deinde hæc subdit, dicere eam solitam: *falsam esse humilitatem, non agnoscere in se Dei dona. Et impossibile esse habere animum ad res arduas pro Deo patrandas, si non cognoscantur fauores Dei, quibus nos prosequitur, quibus nobis dat fortitudinem, perditam peccatis nostris. Quod etiam ipsamet scribit in vitâ suâ capite 10. Verum dixit S. Teresa: quia, vt ait S. Ioan. Climacus gr. 30. Spem parit Diuinorum munerum experimentum. Nam qui hæc expertus non est, non sine hesitatione prestat.*

Magni autem ponderis esse debet huius Sanctæ iudicium, quia eius spiritus, tanquam securus & communis, fuit approbatus à præcipuis Patribus Societatis & aliorum Ordinum, à P. Araoz, P. Borgia aliisque; quos P. Ribera commemorat in eius vitâ libr. 1. cap. 9. to. & libr. 4. cap. 7. & Frater Ioannes à Iesu Maria libr. 4. cap. 5.

Quæ de re differens B. Franciscus de Sales Episcopus Geneuensis, magnus nostræ Societatis amicus, & patronus, eximius Dei donis illustris, & miraculotum gloriâ, in vitâ & post mortem clarus, in Introductione ad veram deuotionem 3. parte c. 5. sic ait. *Multi nolunt, & non audent considerare gratias particulares, sibi factas à Deo, ob metum vana gloriæ, & complacentiæ, quæ in re verè decipiuntur. Cum enim, vt ait Magnus Doctar Angelicus, verus modus attendendi ad amorem Dei, sit consideratio eius beneficiorum, quantò magis ea cognoscemus, tantò magis eum amabimus: & cum beneficia particularia moueant magis quam communia, ista magis attendè sunt consideranda. Certè nulla res nos potest tantum humiliare, ante misericordiam Dei, quantum multitudo eius beneficiorum. Non oportet timere, vt cognitio eius, quod posuit in nobis, nos inflat, dummodò attendamus quicquid boni in nobis est, non esse à nobis. Nunquid multi desinunt esse bestie, turpes & fatide, quia pretiosas res portant & odoriferas à Principe impostas? &c.*

Sic B. Frater noster Alphonsus Rodriguez, vt habetur in processu informatiõis pro eius Canonizatione fol. 173. dans rationem suæ conficietæ P. Ioanni Torres Rectori suo, sic de se ait in tertiâ personâ: *Sucesserunt isti persona res quas mundus canonizat & magnificat, & tenet pro sanctitate, quales sunt visiones, reuelationes, donum*

propheta vel miraculorum; & ista persona non reperit iudicio suo in hoc casum sanctitatis; quia sanctitas consistit in acquirendo multos & magnos labores, ex consuetibus interioribus; ad euacuandum cor vitii & plantandum in eo virtutes, in quibus consistit sanctitas. Ita etiam gratias gratis dadas in se vir humillimus cognoscebat sine prauidicio sanctitatis. Denique de Sanctis vniversè differens B. Laurentius Lustinianus in falesia mot. c. 5. col. 8. ait: Eorum mentes qui sanctorum gratiam consequuntur, quotiescunque agunt talia, humilitate secundantur & gaudio: Gaudio pro adepto munere, afficientiumque profectu: Humilitate autem, eam sacro erudiri eloquio tacite cogitant intra se, prophetae atque facientium dona miraculorum electis ac reprobis esse posse communia. Et alibi, Omnes, inquit, qui ambulam in veritate, & Deo in cordis simplicitate famulantur, non propriam ex iis, quae laudabiliter agunt, quarunt gloriam, sed Conditoris sui, de cuius vique munere agnoscunt se irreprensibiliter viuere. Homo quippe boni instrumentum est operis, artifex autem est solus Deus.

Quintò probatur autoritate Sanctorum.

S. Augustinus l. de bono viduit. c. 16. Dona Dei, inquit, quanto magis nosti, tanto magis es de eisdem donis beata. Imò aliter non es beata, nisi quod habes, noueris à quo habes.

S. Thomas 2. 2. q. 161. a. 3. in corp. Illi, inquit, qui dona Dei participant, cognoscunt ea se habere secundum illud 1. Cor. 2. Vt sciamus quae à Deo donata sunt nobis, & idè absque prauidicio humilitatis, possunt dona, quae ipsi acceperunt, praefere donis Dei, quae aliis apparent collata.

S. Gregorius l. 4. in 1. Reg. ad c. 18. Bona nostra, & ignorare sapienter, & scire aliquando uoluer debemus Ignoranda quidem sunt, ne infirmis nobis elationem praebant, sed à perfectioribus scienda sunt, ut per deuotionem crescant.

Quintò S. Bernardus serm. 3. de Annunt. fin. inter impedimenta Diuinae gratiae, & inter effectus tepiditatis ponit: quod nimis sciamus ea, quae à Deo donata sunt nobis, in deuoti pariter & ingrati. Et serm. 1. de alit. & basit. cordis, Non magno opere, inquit, cogites, quae tibi uideris habere, nisi forte interdum, ut gratias agere possis. & te noueris debitorem ei, qui dedit; seu gratia consolationis, cum id necesse fuerit, ne qualibet ex causa tristior fias. Et ser. 15. in Plal. 90. Onus beneficiorum Dei, est dulce onus, sed ei, qui sentit, ei qui experitur. Alioquin si non inuenias, si non aduertas, graue omnino, & periculosum.

His adiungi possunt; Inprimis P. Iacobus Laynez secundus nostrae Societatis Praepositus Generalis scribens Viennam Anno 1562. 18. Decemb. Non puto, inquit, Deo gratum esse, ut humilitas cognitionem Dei donorum impediatur, tunc enim non uera esset humilitas, sed pusillanimitas.

Patris quoque Balthazaris Alvarez eadem, hac de re, fuit sententia, quae S. Thomae, & S. Gregorij, quam confirmabat autoritate Pauli Apostoli 1. Cor. 2. supra à nobis citatà, quemadmodum de eferibit P. Ludouicus de Ponte

cuius uita c. 41. p. 18. 4. Huiusmodi inquit, & quoscunque alios defectus in tenentibus modum hinc orationis obseruatos non ab ipso modo, sed ab imbecillitate indistinctione, aut imperfectione ipsius orantis (qui corrigi & emendari debet prouenire, non autem propterea modum ipsum esse damnandum. Nam similes defectus accidere solent uentibus ratiocinatione, & interdum quidem maiores, nam & ibi facile oritur uanitas ex praclarà aliquà in ratiocinando inuentione, non tamen propterea quod unus aut plures abutantur aliquo mentalis orationis modo, ille censendus est malus aut deprecandus. Nam etiam tunc ipsae meditationes & Sacramentorum frequentia, esse omittere, propterea quod aliqui us abutantur, aut potius propter defectus in earum usu admissos: Ex quo fit, quòd si Superiores, aut qui tales orantes dirigunt, eum orandi modum prohiberent, illi censerentur rei, nisi tali prohibitioni parerent. & tamen nisi probationis causa, non possent Superiores tunc conscientia, talem prohibitionem facere, cum & ipsi teneantur animas per uiam Spiritus dirigere, per quam illis Deus dicit, & illi proficiunt, & multi Sancti eam tenuerunt, & tenent, ut praedictum est, quamdiu tamen Superiores id non prohibuerint, non erunt illi rei, si eo modo uiuantur, aut existimant, se posse iudicium ferre de rebus spiritualibus, quae ipsa experientia melius didicerunt, quam qui talem experientiam non habent. Quemadmodum non est damnandus Irripertus, propterea quòd existimet, se melius posse iudicium ferre de rebus, quarum notitiam suo labore & studio comparauit, quam qui tali studio nunquam incubuit. Neque est contra humilitatem Dei, quòd quis eius dona cognoscat, ut ait Apostolus 1. Corin. 2. Nos non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quae à Deo donata sunt nobis. &c.

Hoc ipsum docuit P. Ludouicus de Ponte, magnus uirae spiritualis Magister, miris Dei rarisque donis clarissimus, 1. parte Ducis Spirituales tr. 2. c. 8. Veniamus, inquit, nunc ad alteram propriae cognitionis partem, quae versatur circa bona, quae habemus, naturalia & supernaturalia, corporalia aut spiritualia ad quam ipsemet Deus, qui ea donauit, nos impellit iuxta illud apostoli: Nos non spiritum huius mundi accepimus, qui caecus est & fallax, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus, quae à Deo donata sunt nobis. Hac enim cognitio, quae à tali spiritu procedit, non potest non esse utilis, imò aliquo modo est necessaria: nisi enim ea cognosceremus, quomodo Largiorem illorum diligeremus? quomodo gratos nos pro eis exhiberemus? quomodo studiosè conseruaremus? quomodo eis ueremur in obsequium eius, cuius illa sunt? quomodo in afflictionibus animique deiectionibus respiraremus? & si ductiam haberemus in rebus magnis uoti compotes euadendi? Et quomodo Deum agnosceremus, ex donorum experientia, quae nobis largitur. Hac & similia commoda nobis cessarent nisi cognosceremus bona spiritualia, quae habemus, cum dixerit Sapiens Eccl. 20. Thesaurus inuisus, quam adfert uilitatem? Idem in uita P. Balthazaris Alvarez c. 41. pag. 485. Non est, inquit, contra humilitatem, quòd quis eius dona agnoscat, ut ait

Apostolus

de inst. & regimin. Prael. c. 12. col. 6.

1. Cor. 2. 11. *Apostolus: Nos non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis. Est ergo Dei Spiritus, agnoscere in se Dei dona.*

Fr. Ioannes à Iesu Maria Carmelita Discalceatus, vir sanctus, & magnus vitæ spiritualis Magister, ut multa præclara eius Opuscula demonstrent, in quodam tractatu de 3. statibus, dub. 15. proposito sibi tali dubio: *Nam perfectis liceat interdum se perfectos esse agnoscere, idque sine ullo humilitatis detrimento? sic respondet: Respondet, fas id esse, idque fieri cum viâ quadam extraordinariâ, scilicet per reuelationem Dei (vri in S. Paulo contigit) tum viâ non adeo extraordinariâ, quando nimirum Dominus singulari quadam luce suâ communicatâ, mirabilem illos facit sui mutationem agnoscere, simul etiam lucem & gratiam iis communicat, quâ agnoscant, se omne illud, quod habent, bonum, non à se, sed à Diuinâ gratiâ habere, & agnoscant id, magno & intimo quodam humilitatis, gratitudinis, amoris sensu, ac timore quodam filiali, quo Diuinam Bonitatem vereantur offendere. Sunt nonnulli, inquit S. Ioannes Climacus gr. 25. qui tamen an modo supersint diffinire non possunt, qui ex ipsis Dei muneribus quantumlibet in eis profecerint, semetipsos humiliant, seque indignos esse huiusmodi diuitiis existimant, sicq. afficiuntur tanquam debitis suis quorundam adiciant. Quando ergo S. Ioannes Climacus ait gr. 26. col. 13. *Cura sit nobis perpetua atque indefessa, ne tenuis quidem cogitatio ascendat in mentem nostram; quæ bonum nos vllum, vel minimum habere suggerat: intelligendus est, de bonis per naturam acquisitis, quæ non est sufficiens ad virtutum excellentiam comparandam sine Dei gratiâ. Alioquin initio illius capitis ait, ad discretionem pertinere incipientium & rudium etiam nondum perfectorum, veram suorum interiorum profectuum recognitionem.**

57. *Notandum est secundò. Cognitionem, quam S. Thomas 2. 2. q. 161. a. 2. (disputans ex professo, an humilitas magis consistat circa iudicium rationis, quam circa appetitum) requirit ad humilitatem, ut per eam aliquis cognoscat, id in quo deficit à proportione eius, qui suam virtutem excedit & proprium defectum, & ut hæc cognitio sit directiua & moderatiua motus appetitus: hanc, inquam, cognitionem nostræ vilitatis, ad humiliandum nos coram Deo & hominibus prærequisitam, ex his capitibus peti posse.*

*Primò. Quia quoad naturalia nihil sumus. Nam antequam Deus creasset materiam primam, & animam nostram, nihil sumus, & his annihilatis ad nostrum naturale nihilum rediremus.*

*Secundò. Quia accepta à Deo nostrâ existentia & essentia corporis & animæ, & cum iis multiplicibus facultatibus, & viribus operandi per internas tres potentias animæ, & per quinque sensus, ac omnia membra corporis, nihil possemus operari & facere, nisi ad quodlibet*

opus nostrum minimum accederet Dei specialis concursus, actionibus nostris singulis necessarius. Atque ita, sine hoc Dei, ut causa primæ & vniuersalis concursu, nihil profus possemus agere, ut etiam docetur in Physicâ, proinde vti ex nobis nihil sumus, ita per nos solos, qui ex nobis nihil sumus, nihil possumus efficere.

*Tertiò. Quoad res supernaturales multo magis nihil sumus, quia nec cogitare quidquam possumus conducens ad meritum, & gratiæ ac gloriæ consecutionem, sine speciali auxilio supernaturali gratiæ Dei supernaturalis, nobis ob Christi merita, concedi solitæ, itaque ex nobis nil supernaturale possumus mereri: & ex nobis nullo bono digni sumus.*

*Quartò. Cum autem in multis delinquamus omnes, ut dicitur Iac. 3. 2. & cum peccata, etiam venialia, collata cum infinitâ Dei Maiestate & nostrâ vilitate naturali, & tot obligationibus nostris, quas habemus, ex donis multiplicibus naturæ & gloriæ, nobis diuinitus collatis & promissis, & adhuc perpetuo sine vllâ intermissione conferri solitis, quæ requirunt iure multiplici, ut abstineamus ab omni Diuini Numeris offensa, quæ quandam infinitatem in se habet, vti dicunt Theologi & Sancti; ideo meremur, ut Deus nos puniat cum quadam infinitate, si eius essemus capaces, ideoque meremur, ut à nobis auferat omnia bona, quæ dedit nobis, & nos repleat omni malo pœnali.*

*Quintò. Cum ex nobis nihil sumus, ideoque nullas vires ex nobis habeamus, ad faciendum vllum opus naturale ac supernaturale, & ad superandas difficultates & tentationes indigemus Diuinæ dextræ auxilio, etiam ad frenandos & moderandos motus nostrarum passionum non sumus sufficientes, sed & ad hoc quoddam nihilum sumus.*

*Sextò. Cum peccata nostra sint adeo frequentia, & pro conditione peccantium varia, cum ea sint sædiota omni sæditate & spurcitia; etiam nos ob illa, sumus magis sædi, magis spurci, magis abominabiles, quam quicquid inueniri possit, inter sublunares sæditates spurcissimum.*

*Septimò. Cum omnes virtutes connexæ sint, vti docet S. Thomas 1. 2. q. 65. a. 1. & alij Theologi ac SS. Patres quos citant; & expressè Deus ipse S. Catharinæ dixit in Dial. c. 7. omnes virtutes a d. inuicem ligatas esse, & connexas quamuis maior sit in vno, quam in altero: cum ergo virtutes sint tam multæ, tu verò, vel nullam in tam alto gradu habeas, in quanto habebatur à Sanctis, vel multas alias non habeas, cum totâ plenitudine perfectionis ad eam spectantis, agnosce te longè abesse à perfectione.*

*Octauò. Cum bonum sit ex integrâ causa, & malum ex singulis defectibus, ut ex S. Dionysio docet S. Thomas; cum in te videas defectus plures, quam in alio, saltem cognitione experimentalis, & cum in te eos cognoscas esse voluntarios,*

D d d 4 quòd

quoddam de alienis scire non potes, forte enim in eis sunt primi motus, qui tibi, vel aliis, videntur voluntarij defectus: vnde sæpe etiam docti contententur inuoluntarias distractiones & cogitationes, & tentationes: defectus autem in bonis aliorum non vides, vti in tuis; ideo te etiam ex hoc capite postponere debes omnibus aliis.

*Nono.* Ignorantia multarum rerum laboramus, cum culpa nostrâ, tum sine culpâ.

*Decimo.* Propensio nostra ad malum, & ex fomite innato, & ex habitibus prauis acquisitis, est magna materia humilitatis.

*Vndecimo.* Auerfio naturâ corruptâ à bono, & resistentia ac difficultas ad illud inchoandum, continuandum, & perficiendum, est occasio humilitatis.

*Duodecimo.* Inconstantia in bonè cæptis.

*Decimotertio.* Tædium in bono, gustus in malis.

*Decimoquarto.* Ingratitudo erga Deum, post tot beneficia.

*Decimoquinto.* Relapsus ad peccata deserta.

*Decimosexto.* quin etiam ipsos fauores, quod sunt maiores, Sancti agnoscendos eos accipiunt tanquam præsidia, sine quibus ruerent in grauissima scelera, & inde suam debilitatem maiorem ceteris colligunt, qui eis fauoribus carent, & sic se humiliado, alios sibi anteponunt. Cùm quaedam Nouitia quæretet à B. M. Magdalenâ de Pazis quomodo tam de se vilem conceptû haberet, cum se tot miris Dei fauoribus ornata conspiceret? Respondit: (vti scribitur in eius vitâ c. 134.) Scias filia, mi me Deus, singularibus fauoribus munuisset, & quasi retinisset, ego me præcipitasse in maximas Dei offensas, quæ fieri possent contra Diuinam Maiestatem. Vobis non fecit hoc Dominus, quia eius simplici voci obeditis, eique sine his fauoribus seruitis, & ideo ego sum miserabilior vobis omnibus. Eadem in suis raptibus declarauit modum, quo se reputabat esse causam omnium defectuum Monasterij, & omnium mundi peccatorum, & damnationis tot animarum. O, inquit, si ego fuisset in oratione seruens, intrâ me collecta fuisset, & hac & illa fecissem! Deus me aliter illuminasset, quàm potuerit facere ob meos defectus: ideo ego adhibuissem illa media, ad impetrandum lumen illis animabus, per quod ad hunc miserum statum non deuenissent: & seruentiùs orassem pro peccatoribus, & pro placando Deo illis irato.

*Ad humiliandum,* inquit S. Bernardus ser. 36. in Cant. nihil anima inuenire viuaciùs, seu accommodatiùs potest, quàm si se in veritate inuenierit, tantum non dissimulet, non sit in spiritu eius dolus, statuat se ante faciem suam, nec se à se auertere abducatur &c. Nam quomodo non verè humiliabitur in hac verâ cognitione sui, cum se perceperit oneratum peccatis, mole huius mortalis corporis aggregatam, terrenis intricatam curvis, carnalium desideriarum face infectam, cæcam, curuam, infirmam, implicitam multis erroribus, expositam mille periculis, mille timoribus, trepidam, mille difficultatibus anxiam, mille suspitionibus obnoxiam, mil-

le necessitatibus arumnosam, proclium ad vitia, imulidam ad virtutes. Vnde hinc iam extollentia oculorum: vnde leuare caput

Et ser. in illud Iob. In 6. tribulationibus liberabit te. Quid, inquit, in homine purum à maculâ, immune à contagio poterit inueniri: Ab intus manat, de corde exit pestiferum virus, ac deinceps corpus occupat vniuersum, mentem desiderij afficit, membra illucebris inficit. Inde pruritus aurium, oculorum petulantia, inde olfaciendi voluptas, inde in faucibus tam inordinata delectatio, inde in vniuerso corpore mollitici sensus. & libido perniciosa tangendi, inde intus in animâ ebrietas illa desideriorum, & fornax quadam ambitionis, auaritia, inuidia, contumacia, nequitia, & omnium denique vitiarum affectibus vehementer accensa &c. A plantâ pedis vsque ad verticem non est sanitas in me: totum infecit concupiscentia, lex peccati in omnibus membris inuenitur, vndique per fenestras mors intrare contendit, & intus fomes totius nequitia periculosis sentit, crudelibus malignatur.

Et B. Laurentius Iustinianus de perfectionis gradibus cap. 4. statum nostrum sic describit ex quo magna humiliandi nos materia colligitur: Intra nos, inquit, vigent concupiscentia, bella geruntur, hebetatur mens, obnubilatur intellectus, cogitationes perturbant, consilia desunt, alternatur intentio, frigiditas affectus, deliberatio nutat, interdum quæ displicebant placent, & post paululum, quæ grata erant odio habentur, sicq. inferior homo tanquam nauis in medio pelagi constituta, diuersarum procellarum impulsionebus agitata, naufragioq. propinqua obtunditur, deprimitur, atollitur, & periclitatur. O quàm sæpe malignorum spirituum deceptionibus circumuenitur, blanditiis saluatur, sicutq. racionibus superatur!

Atque ex hoc primo gradu oritur, & cum eo coniunctum est, vt quis seipsum despiciat, vt sibi, suisque viribus diffidat, vt se Diuinis donis indignum reputet, honorari non appetat, sed potius deprimi & contemni, Deo & hominibus subiici, & se inutilem reputare. Qui enim se iudicat omnium vilissimû & pessimum in materia virtutis, hæc omnia habet, quæ P. Aluarez de Paz recenset, inter distinctos gradus humilitatis to. 2. l. 4. p. 3. vel gradus à B. Iustiniano positos.

*Notandum tertio,* id quod B. Angela de Fulgino, Deo dictante didicit, & scriptum reliquit c. 19. suæ vitæ, esse quandam humilitatem fallam, à verâ humilitate & à superbâ diuersam. Falsa enim, etsi ea ipsa menti suggerat, quæ suggerit vera humilitas, scilicet cognitionem, vel potius repræsentationem viuam, propriorum peccatorum & defectuum, non minorem, quàm faciat vera humilitas, tamen effectum producit diuersum. Vera enim humilitas facit animam venire in cognitionem Diuinæ bonitatis, etsi faciat animam esse contemptam. At humilitas falsa, inducit quidem contemptum quandam sui, sed nimium, ita vt non possit anima cogitare, quod Deus de cetero velit illi misereri, & non adducit nisi innumerabile malum; & illam

illam habens anima nullo modo potest recordari Dei &c. & facit eam, desperare de Deo & de omnibus bonis eius: & cogitare quia quicquid Deus ei concessit & dedit, ad maiorem eius desperationem & damnationem permittit. Quæ Sancta Ista c. 19. fusè prosequitur, narrans quomodo hæc falsa humilitas (quam tentationi dæmonis adscribit, & ea se per duos circiter annos tormentatam ait) omnes suos defectus sibi ostenderit, & ut ab aliis quoque agnoscerentur, & à Deo punirentur, insigabat. Addit tamen etiam per hanc falsam humilitatem, seu tentationem dæmonis, animam purgari à superbiâ, & à dæmonibus, & in illâ acquiri veram humilitatem, non quidem per se, sed, ut in scholis loquimur, occasionaliter.

Sicut ergo in aliis virtutibus, excessus sunt fugiendi: ita & in exercitio humilitatis, ne deficiat in pusillanimitatem & desperationem, culpâ nostrâ, vel dæmonis tentatione. Nam virtus ipsa per se id non efficit: quia ut bene ait S. Augustinus 2. de lib. arb. c. 8. & 19. Et S. Thomas 1. 2. q. 55. a. 4. Virtus est bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur, quâ nemo malè vivit. Scilicet vivendo eius habitu, & illi non adiungendo suos actus, qui sæpè, vel à naturali passione inordinatè hominem moventè ad opus pravorum, vel à dæmonis immediatâ tentatione, vel à pravo habitu acquisito, oriuntur, & contrarij sunt virtutibus, per excessum, vel defectum. Quo sensu S. Antonius Abbas serm. de vanit. mundi dixit: Virtutem nobis contulit Deus, quâ possumus, quod equum est & rectum perficere, & nos per ipsam potius iniquitatem exercemus.

Ad hoc caput spectat cognitio, quam serui Dei habent de honore, qui eis defertur ob sanctitatis opinionem, quam apud alios habent, & inuiti patiuntur, sed Deus ita vult fieri. Quâ de re quadam vice S. Gertrudis sic allocuta est Dominum 1. 4. c. 35. inlinuat. diu. piet. Eia cur permittis Domine, vt aliquis respiciat me, aut reueretur vt sanctam, cum tu Dominus omnium, in terris voluisti esse nonissimus virorum, & tibi sit summè laudabile quòd Electi tui despecti & vilipensi habeantur in hoc mundo, quia eò magis coequantur tibi in gloriâ, quo contemptibiliores aestimantur in terrâ: Respondit Dominus: Verbum meum est per Prophetam: Iubilate Deo omnis terra. Et infra: Date gloriam laudi eius. Permittite ergo, vt nonnulli in Spiritu sublimis de te sentientes tibi dulciter afficiantur, neque benignius respiciant, vt illos per hoc sanctificem, & gratia mea coaptem, nec non mihi magis gratos efficiam. Ad quod illa: Domine, quid de me fiet, si illos per hoc sanctificas, per quod ego defectum contra ho? Respondit Dominus: Ego aureum ornatum tuum id est gratiam, quam in te posui, delector fuso nitentig, colore vermiculari. Vnde per hoc verbum (fusco) intellexit signari, quòd cum homo aliqua sibi beneficia impensa recolat, se humano affectu acceptasse, & interim dolens humiliatur, per talem humilitatem tanto magis placet Deo, sicut niger color cui-

dentis aurum distinguit. Per hoc autem quod Dominus ait (ac nitenti colore) recognouit, quòd gratitudo illa quâ quis accipiat beneficia tam à Deo, quàm ab hominibus propter Deum sibi impensa, magis habilitat animam ad qualibet dona Dei suscipienda & conseruanda. Quæ quidem etsi vera sint, tamen ex parte nostrâ humiliemus nos quàm possumus maxime, & contemptum nostri amemus, & bonis modis quæramus. Insuper enim est & insanus, inquit S. Bernardus serm. de subiectione nostræ voluntatis ad Diuinam, quicumque in alius vite merito, nisi in solâ humilitate confidit. Apud Dominum, fratres, ius habere non possumus, quoniam in multis offendimus omnes: sed nec fallere eum; ipse enim nouit abscondita cordis, quanto magis opera manifesta: vtique, nec resistere viribus, quoniam omnipotens est. Quid ergo restat, nisi ad humilitatis remedia totâ mente confugere, & quicquid in alius minus habemus, de eâ supplere? Quod vt faciamus facilius suadet alio in loco serm. 1. de altitud. & bass. cordis: Eia semper magis attende, quæ alius habet, tu non habes: quòd hæc cogitatio in humilitate te custodiat, & à descensu reprobis elonget, magis autem & accendat desiderio proficiendi.

## CAPVT SEPTIMUM.

## De Secundo Gradu Humilitatis.

Quoad secundum gradum humilitatis, qui est in Confessione sacramentali sua peccata aperire, dubitari potest, quomodo sit actus & gradus humilitatis, eum sit actus penitentia, & necessariò adhibendus ab iis, qui suscipiunt sacramentum penitentia, in quo ad integritatem Confessionis Sacramentalis requiritur integra manifestatio omnium peccatorum mortalium, quorum quis meminit.

Sed dicendum est, vt constat ex Theologiâ, eundem actum virtutis posse pertinere ad diuersas virtutes, si fiat ob diuersa mòtia propria cuiusque virtutis. Et ita manifestatio Sacramentalis peccati, ad placandum Deum, detestatione & confessione illius, & voluntate satisfaciendi, ac proposito emendationis facta, spectat ad virtutem penitentia, eiusdem verò manifestatio facta ex animo vilipensionis nostræ, & ex studio deprimendi nos ob Dei reuerentiam, & subiiciendi nos hæc ratione, & Deo, & Confessario, est actus humilitatis, ideoque à Sanctis frequentatus, etiam extra necessitatem Sacramentalis absolutionis.

Et ita S. Prosper li. 3. de vitâ contemplat. ca. 3. inter actus humilitatis id numerat: Superbi, inquit, vitia sua à se alienando, peruersitatem suæ voluntatis extusant; humiles verò si quæ peccata commiserint, voluntariè confitendo, semetipsos accusant.

Et S. Benedictus in suâ Regulâ cap. 7. quintum humilitatis gradum esse ait: Si omnes cogitationes malas cordis suo aduenientes, vel mala à se

absconſe commiſſa, per humilem confeſſionem abbati non celauerit ſua.

60. Et S. Gregorius in Plal. 3. pœnit. *Hæc ſunt vera humilitatis teſtimonia, & iniquitatem ſuam quemque agnoſcere, & cognitam voce Confeſſionis aperire, & enuntiatam pœnitentia ſatisfactione delere.*

Sic S. Bernardus ſerm. I. de Circumciſ. *Habet & à Prelatis teſtimonium, quiſquis & peccata ſecularis vitæ, & huius quoque temporis negligentias, humili eis & purâ confeſſione iudicanda ſemper exponit, & eorum ſatisfacere ſtudet arbitrio.*

Sic S. Carolus Boromeus poſt primam cõfeſſionem generalem totius vitæ benè factam Romæ initio ſuæ ad vitam ſanctiorem conuerſionis poſtea non ſemel eam iterauit, ſemel confitendo cuidam Epifcopo ſancto, ex Congregatione S. Pauli, Barnabitarum dictâ, ad Epifcopatum aſſumpto, & aliquot diebus ante mortem eam iterauit coram Patre Franciſco Adorno, è noſtrâ Societate, quo Mediolani utebatur pro Patre ſpirituâli, & ſuo in rebus ſpirituâlibus, multis ante mortem annis, perpetuo direttore.

Sic noſter P. Bernardinus Realinus ad ſui humiliationem cuiſlibet Reſtori nouo, aduenienti ad gubernationem Collegij Aletini, in quo diu vixit & mortuus eſt, ſolebat aperire in Confeſſione præcipua vitæ ſecularis peccata, vt accipi ab eius familiaribus, & ſi rectè meminim, legi in Proceſſibus auctoritate Apollolicâ factis, pro eius Canonizatione.

Sic & noſter S. P. Ignatius, cum fuiſſet à ſociis electus primus Præpoſitus Generalis noſtræ Societatis, & præ humilitate nollet hoc officium acceptare, & tandem cogentibus Sociis tergiuerſaretur, rem ad ſuum Confeſſarium detulit, cui vt perſuaderet ſuam indignitatem & inſufficientiam pro gubernandâ noſtrâ Societate, totius vitæ ſuæ crimina aperuit, vt ſcribit Ribad. libr. 3. cap. 1. ſed nil effecit: eo enim maxime vrgente, coactus eſt S. Pater Sociorum voluntati cedere, & gubernationem Societatis acceptare.

Idem aliàs, cuidam Fratri ad ſæculum redire volenti, eò quod peccatum in ſæculo admiſſum explicare verecundâ prohiberetur, ipſe vitam ſuam, quam degerat in ſæculo, in vanitate ſenſus ſui, ei familiariffimè expoſuit, vt illum ſui minus puderet, & de Deo ſentire in bonitate diſceret. Ribad. libr. 5. cap. 2.

Idem Lutetiæ, vt Sacerdotem quendam Religioſum, vitâ profanum ac perditum ſibi, propter morum diſſimilitudinem maxime inſeſtum ſanaret, ei præterita vitæ crimina præter quotidiana leuiora, & delicta iuuentutis ſua recensuit in Confeſſione, & ita eum ad meliorem vitam conuertit. Ribad. l. 5. c. 10.

Sic multi alij magni Dei ſerui fecerunt & faciunt, quibus annuerandus eſt S. Philippus Nerius Fundator Congregationis Oratorij, qui antequam maneret in domicilio Congre-

gationis Oratorij, quod eſt ad templum S. Mariæ in Vallicellâ, & poſtea cum eò ſe tranſtuliffet, ex domicilio S. Hieronymi à charitate nuncupati, ſito prope palatium Ducis Farnelij, quâdiu fuit Præpoſitus Generalis, ſemper confitebatur Ordinatio noſtro P. Ioanni Baptiſta Peruſco, tunc Pœnitentiaro S. Petri, ſed poſtquam Præpoſituram Congregationis tranſtulit in Caſarem Batonium Soranum, cum qui poſtea fuit S. R. E. Cardinalis, huic cœpit confiteri ordinariè, tamen certis anni temporibus, veniebat ad Patrem Ioannem Baptiſtam Peruſcum, cuique veluti per Confeſſionem generalem ſua peccata detegebat, vt audiui Romæ Anno 1596. ab ipſomet P. Ioanne Baptiſta Peruſco vno anno poſt mortem S. Philippi Nerij.

## CAPVT OCTAVVM.

## De Tertio Gradu humilitatis.

61. **Q**uod tertium gradum humilitatis, qui conſiſtit in hoc, vt alius aperiamus ea extra Confeſſionem ſacramentalem, quæ nos humiliare poſſunt, & ad noſtri vilipenſionem inducere, dubium non eſt, verè humiles id exequi, ſiue iuſſos, ſiue ſponte, & quidem ſtudio humiliandi ſe. *Humilitatis enim filia eſt, inquit S. Dorotheus doct. 2. ſui ipſius perpetua accuſatio: ſic Sancti magni etiam libris à ſe ſcriptis, grauiora ſua peccata detexerit. Sic Ionaſ nauis indicauerat, quod fugeret à facie Domini: cni alia aliqua exempla addi poſſunt.*

Primum exemplum eſſe poteſt illud apud S. Ioannem Climacum gr. 4. qui narrat ſe in quodam Monafterio vidiſſe quendam latronem conuerſum, dum petiſſet recipi ad vitam Monafterij, iuſſum à Præſide Monafterij, ſine vllâ cunctatione priùs ipſi ſoli promptè confeſſum, quidquid in ſæculo iniquo operatus eſſet, deinde in Eccleſiâ coram 230. monachis, hæc ipſa ſingulatim, & per ſpecies dixiſſe: *non tantum qua per corpus, præter naturam, ac ſecundam naturam, in irrationabilibus & mutis animantibus deliquerat, verum etiam veneficia & homicidia, & qua audire & ſcribere tradere ſas non eſt, omnino nihil reticuiſſe, & ita Fratribus aggregatum priùs conſum.*

Secundum exemplum in præto ſpirituâli ca. 116. Abbatis Andræ Meſſenij, quem cum ſenex quidam hoſpicio ſuſceptum, dixiſſet ſervo abſtulſſe numiſma (quod ille ſenex vbi poſuiſſes oblitus erat). Andreas pallio vendito pro numiſmate, proſtratus illi, veniam petiit & dixit: *Ignofce Abba, quia Satanus decepiſt me, & accipi numiſma tuum, quod tamen non acceperat.* Alia exempla habes infra, libr. 2. cap. 5. numer. 142.

Tertium exemplum, eſt S. Franciſci, in cuius vitâ à S. Bonauenturâ ſcriptâ c. 6. hæc legimus: *Sapè, cum populi merita in eo ſanctitatis extollerent, præſepiebat alicui Fratri, vt in contrarium, verba ipſum vilificantiâ,*

ficantia, suis auribus inculcando proferret. Cùmque Frater ille, licet inuitus, eum rusticum & mercenarium imperitum & inuilem diceret, exhilaratus tam mente, quàm facie respondebat: Benedicat tibi Dominus, fili charissime, quia tu verissima loqueris, & talia filium Petri Bernardoni decet audire. Vt autem se ceteris despicabilem redderet, non parcebat rubori, quin in prædicatione, coram omni populo propriis manifestaret defectus. Et cùm infirmitate grauatus rigorem abstinentiæ, pro recuperanda sanitate, modicum relaxasset, viribus corporis utcumq; resumptis, veteris sui contemptor, ad propria carnis animatus opprobrium. Non est, inquit, conueniens, ut populus abstinentem me credat, & ego carnaliter reficiat in oculo. Surrexit propterea sancta humilitatis spiritu inflammatus, & in plateâ ciuitatis Assisi, populo conuocato solemniter cum fratribus multis, quos secum adduxerat, maiorem introiuit Ecclesiam, fumigat, ad collum ligato, nudum cum femoralibus solis, in oculis omnium se trahi præcepit, vsque ad lapidem, in quo malefactores puniendi consueuerant collocari. Super quibus confendens, audientibus cunctis afferuit, se non tanquam spirituales honorandum fore, quin imò tanquam carnalem & glutonem ab omnibus contemnendum. Viso hoc spectaculo, deuotione compuncti, humilitatem huiusmodi, magis admirabilem quam imitabilem proclamabant. Et hæc fortè est causa, quòd ex verbis humiliantis se humilissimi Francisci, & sua peccata parua exaggerantis, & more bonarum mentium, ut ait S. Gregorius Papa, sibi culpam agnoscentis, vbi culpa non erat, aliqui existimant S. Franciscum, in vitæ secularis adolescentiâ lasciuie iuuenilis ardoribus deditum fuisse, vti malè scripsit Thomas Wallinghamus in hypodigmo. Neustria ad annum 1212. & corpus eius fuisse maculatum & deturpatum factore luxuriæ, & inquinamenti & sordibus multorum peccatorum mortaliū, quemadmodum ei adscribit Vincentius Bandellus Dominicanus 3. part. Val. 17. & alibi in tractatu de veritate Conceptionis, quem suo suppresso nomine dedicauit Comiti Petro de Gambarâ, cui Brixienfi, & eum adolescentem verbis & canticis impudicis fuisse deditum, vti ex Vincentio Beluacensi in Spec. hist. li. 29. c. 97. refert S. Antoninus 3. part. hist. tit. 14. c. 2. Quos meritò refellit Lucas Wadingus in Apparatu ad 1. part. Annal. Minorum §. 4. numer. 10. 11. 12. 13. 14.

Quartum exemplum esse potest S. Ignatii, qui, ut scribit Ribad. lib. 2. eius vitæ c. 5. publicè hæc de se dixit in propria patriâ Azpetia, & quidem in primâ concione, magnâ totius nobilitatis ac populi multitudine audiente: se in patriam rediisse, cùm alias ob causas, tum potissimum, ut quos populos deprauatis moribus olim grauiter adolescens offenderat, aliqua melioris vitæ commutatione, si posset, adificaret, & præterita vitæ maculas lacrymis tergeret, culpaq; contractas, benefactis palam expiaret, quod penitentia sua iudem restes essent, qui soluta atque profugata vitæ antea fuissent, præcipuè verò, quòd adolescens, vnâ cum

aliis adolescentibus, in hortum cuiusdam ciuis simul intrasset, & fructuum aliquantulum copiam surrim abstulisset, magno domini damno. Qui quòd furti authorem nesciret, falsâ suspitione deceptus, hominem quendam in custodiam tradi curasset, ac pecunia certâ summâ multari: itaque nullâ suâ culpâ, nullo merito, & samâ & bonu illum miserum spoliatum fuisse. Ego, inquit, sum reus, ille innocens est: ego deliqui, ego errauis, ille penas haud debitas luit, hominemq; ipsum, qui in concione fortè aderat, proprio nomine appellans, etiam atque etiam rogat sibi ut ignoscat.

Quintum exemplum est S. Theresiæ, quæ ita in vitâ suâ à se scripta exaggerat sua peccata, ut videri posset commisisse mortalia, præsertim quia c. 32. vitæ suæ scribit, sibi fuisse ostensum locum in inferno, pro eâ præparatum. Vnde P. Ribera coactus est, multis solidè ostendere, eam non peccasse mortalitèr, præsertim contra castitatem, vti apparet ex tractatu P. Ribera hæc de te, qui in fine vitæ S. Theresiæ c. 3. positus est, & alibi. Sed clarissimè contrarium asserit Didacus Iepsius Archiepiscopus Turrisanensis (vel potius Frater Thomas à Iesu Carmelita discalceatus, quem fuisse authorem vitæ editæ, sub nomine huius Archiepiscopi, mihi Romæ anno 1625. dixit Frater Matthias à S. Francisco tunc dicti Ordinis Generalis, cùm eum visitassem in Monasterio Scalæ, in quo tunc quoque habitabat dictus Frater Thomas) in hac ergo vitâ l. 3. c. 1. dicitur, ab eâ conseruatam esse gratiam in baptismo teceptam, nec vllò vnquam peccato mortali perditam. Locus autem in inferno ei ostensus, inquit P. Ribera, non fuit, quòd illum tunc mereretur, sed in quem deuenisset, nisi separasset se à conuersationibus honestis quidem & puris, sed liberioribus, & nimis affabilibus: quia, ut dicit S. Thomas 1. 2. q. 88. a. 3. ad 3. & a. 4. & q. 74. a. 4. ad 3. & 2. 2. q. 24. a. 10. & a. 12. ad 1. peccata venialia disponunt ad mortalia, idque per se.

Sextum exemplum sit P. Balthasar Aluarez, de quo P. Ludouicus de Ponte, in eius vitâ c. 39. §. 2. scribit: Valde fuit promptus ad suos defectus naturales manifestandos, dicens, se nec eruditionem, neque ingenium, nec aliud quidquam habere, ob quod magni esset estimandus: neque id solum, sed sua quoque peccata in eundem finem aperiebat, quemadmodum fecit apud P. Aegidium Consalum Abulensem, Prouincia Castellæ Visitatorem, cùm ipsemet esset Rector Metinensis. Nam primâ vice, quâ eum ex instituto suis allosutus, aut rationem suæ conscientie extra confessionem pro more Societatis redderet, aperuit illi omnia totius vitæ suæ peccata, ita ut P. ipse Visitator non potuerit illum prohibere. Ex quo aded obstupuit, adificatusq; est, ut ad Sacrum faciendum se conferens, vix aduerteret quid faceret, aded erat attonitus, ex heroico humilitatis actu Patris Balthasar.

Sed magis mirum est, quod Plutarchus tanquam medium & signum profectus in virtutibus suis commendat, ut quis alteri sua vitia detegat, & eorum correctionem quærat. Nam in

libello

libello de cognoscendo profectu in virtutibus, post alia dicit: Non vite est profectus indicium, si quis commissa culpa se reprehenditibus offert, vitium exponit. & malū degegit, neque gaudet latendo; contentusque est, si clam id ferat. sed confitetur operis, correctionis requirit; quomodo Diogenes dixit, eum, qui seruandus sit, querere debere aut probum amicum, aut infestissimi hostem, ut vel reprehensus vel correctus vicio liberetur. Et infra: Qui se ipse proficit, exemplum Hippocratis sibi imitandum dicit, qui errorem suum de futuris capitis profectus est, inque literas retulit, existimabitque indignum fore, si cum tantis viris, ne alij eodem erroris venirent, suam testatam fecerit ignorantiam) ipse salutis sue studio non auderet fluctuantem iniustitiamque suam detegere atque confiteri. Si ergo Echnici, studio proficendi suadent manifestare suos defectus, quanto magis Religiosos id facere studio humilitatis decet?

## CAPVT NONVM.

## De quarto gradu humilitatis.

Quoad quartum humilitatis gradum, qui est velle, ut ab omnibus credatur malum, quod de se ipsis sentiunt, & ut ob hoc contemnantur, non promoueantur, non laudentur, sed vituperentur.

Multos nouimus, inquit S. Gregorius P. libr. 22. mor. c. 14. qui nullo arguente sese peccatores confitentur. cum vero de culpa sua fortasse fuerint correpti, defensionis patrocinium querunt. Et S. Bernardus de talibus loquitur ser. 4. de Aduentu: Sunt qui peccata sua sic confitentur, ut videri possent ex desiderio mundandi cordis id agere, (omnia enim in confessione lauantur nisi quod ea, quae sponte dicuntur alius, ab aliis patienter audire non possunt. Qui si verè mundari desiderarent, ut videntur, non irritarentur, sed haberent eis gratiam, qui suas illis maculas demonstrarent. Et B. Laurentius Iustinianus l. de humil. c. 1, Experientia, inquit, refte, pauci reperiuntur numero in comparatione ceterorum, qui saltem naturali exagitati impulsu, praesse potius non ambiant, quam subesse, laudari magis appetant, quam despicere, atque plus concupiscant ab hominibus boni existimari, quam mali. Hac procul dubio sunt superbiae germina, haec (inquam) elationis sunt filiae, quae nisi sedula coereantur disciplina virtutum, ex quotidiano accrescunt usu, & ex filibus spiritalibus efficiuntur matres, nec non ex teneris arbutis arbores ingentes fiunt, ita ut volucres caeli, aërea videlicet potestates, in eis nidescant, & proprios nutriat fetus.

Extat hac de re praclarum exemplum apud Cassianum coll. 18. c. 11. Cum enim quidam ad Abbatem Serapionem, summam sui abiectioem habitu ac verbis praeserens, venisset, eumque, senex, secundum morem, ut orationem offerret, hortaretur, ille nequam annuens deprecanti, tantis se subiiciens afferebat flagitijs inuolutum, ut ne vsum quidem huius communis aeris mereretur. Psalms quoque (id est, matia, vel

storea, aut regetis, confecta ex pappo, aut gramini, qua paumentum tegebatur, super quas sedebant vel cubabant Monachi) ipsius refugium sessionem, humi potius residebat. Cui vero etiam ad ablationem pedum multo nimis praebisset assensum, tam Abbas Serapion refectioe tractata, collationis consuetudine prouocante, mouere eum benigne ac leniter cepit, ne otiosus ac vagus iuuenis praesertim tam robustus instabili leuitate per vniuersa discurreret, sed ut in cella residens, secundum Regulam Seniorum, suo potius operi, quam aliena velle munificentia sustentari. Ad hoc illi tantam tristitia & dolore est suppletus, ut amaritudinem corde conceptam, ne vultu quidem dissimulare potuerit. Cui Senex: Hactenus, inquit, o Fili, cunctis te seniorum ponderibus onerabas, non meruens, ne confessione tam atrocium criminum notam existimationis incurreres: quid, quae, nunc est, quod ad simplicem admonitionem nostram, quae tamen in se non modicum opprobrium, sed etiam adificationis habuit ac dilectionis affectum, tanta te vides indignatione permotum, ut eam ne vultu quidem occurrere, aut frontis serenitate dissimulare potueris? an fortasse dum te humilitas illam expectabas, a nostro ore sententiam: tuus accusator est sui in principio sermonis: Proinde vera est cordis humilitas retinenda quae non de affectu corporis atque verborum, sed de intima mentis humilitione descendit. Quae tunc demum euidentissimam patientiae suae fulgebant indicia cum quis non ipse de se crimina ab aliis non credenda iactauerit, sed ab aliis sibi met arroganter iniuste contempserit, & irrogatas iniurias mansueti cordis aequanimitate tolerauerit. Hec Abbas Serapion, qui deceit millibus Monachorum praefuisse legitur apud Sozomenum.

Hic gradus est perfectior alius, supponit enim priores, & addit desiderium sui contemptus, ex sinistra aliorum de se opinione ortum, vel potius ex verà; siquidem verè talem se esse indicat ac proinde iij. qui idem de eo sentiunt, habendi sunt ab eo, pro verè iudicantibus de se & suo statu. Vnde tanquam verus humilis, inquit S. Bernard. ser. 16. in Cant. vult reputari, non humilis praedicari: gaudet contemptu sui, hoc solo superbus, quod laudes contemnat: quod quidem bona superbia est.

Obseruat tamen Lessius l. 4. c. 4. dub. 7. n. 48. de iustit. Non semper expedire, ut alij nostros defectus nouerint, aut nihil nos aestiment, propter edificationem & fructum aliorum. ut S. Bernardus notat ser. 42. in Cant. adferam eius verba: Si veritatis ipsius, quae te tibi veraciter atque salubriter demonstrant, sicut splendore illuminatus, ita affectus amore sufficit, voluit se procul dubio, quod in te est, eandem omnes de te tenere sententiam, quam ipsam apud te veritatem habere cognoscit. Sane quod in te est, dixerim, quoniam plerumque non expedit innotescere omnibus omnia, quae nos scimus de nobis, atque ipsa veritatis charitatis, & charitatis veritate veramur, palam fieri velle, quod nocens agnoscent.

Hunc gradum humilitatis, commendat nobis regula II. Summarij, quae caigit a nobis, ut

admittamus & concupiscamus totis viribus, quicquid Christus Dominus noster amavit & amplexus est, scilicet conumelias, falsa testimonia, & iniurias patris ac filii haberi & existimari, nulla tamen ad id per nos data occasione.

Circa quam regulam, & ipsum gradum humilitatis, duo quæri possunt. Primo, An ita optanda sit nobis, mala in cordibus aliorum de nobis opinio, ut nunquam bonam optare liceat aut procurare? Secundo, Quid significat, non dare occasionem malæ de nobis opinionis?

63. Quoad primum, docet S. Thomas 2.2. q. 132. a. 1. hominem laudabiliter posse ad aliorum utilitatem suam gloriam appetere, secundum illud Matthæi: *Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in calis est.* Et ad 3. ait, posse appetere gloriam seu laudabilem famam, vel ad hoc, quod Deus ab hominibus glorificetur, vel ad hoc, quod homines proficiant ex bono, quod in alio cognoscunt; vel ex hoc, quod ipse homo, ex bonis, qua in se cognoscit per testimonium laudis alienæ, studeat in eis perseverare, & ad meliora proficere: Et secundum hoc laudabile esse, quod curam habeat aliquis de bono nomine.

Hæc doctrina speculatiuè vera est, sed in praxi & exercitio omnibus illis fugienda, qui in se sentiunt lapsus voluntarios contra humilitatem, imò & tentationes importunas vanæ gloriæ. Cum enim amor nostri propius obfuscat intellectum, & vitia nobis obiciantur, sine dæmonis astu, sine nostro vitio, sub specie virtutis, facile fieri potest, ut immortificatus, sub prætextu finis & effectus boni, appeteret bonam apud alios opinionem, vel etiam gloriam, quæ est index bonæ opinionis, & ab hac pullulat, cum tamen verè illam appeteret, ex spiritu superbiæ & vanitatis. Ideo viri maturæ virtutis vehementissimè horrent omnem gloriæ appetitum, etiam ob finem bonum, tum ne periculo se exponant vanitatis, quia, ut ait S. Bernardus serm. 54. in Cant. *Scruiator viarum suarum ac studiorum, in omnibus semper habet suspectum arrogantia vitium ne subrepat:* tum quia is non est necessarius ad vllum finem bonum: Quia per contrarios actus humiliatiõis, vel aliarum virtutum, æquè potest homo esse causa Diuinæ gloriæ & profectus proximi, & se ipsum excitare ad meliora, & omnia illa, eaque, longè tutius & securius assequi, ob quæ S. Thomas docet, posse laudabiliter gloriam, ac proinde & bonam aliorum opinionem appeti. Et ita experientia constat, Sanctos, qui datis etiam occasionibus, conati sunt vilescere in opinione hominum, vel sine occasionibus, studuerunt vitæ rationem communem aliis, mediocriter bonis, sectari, facile esse assecutos & opinionem eximiam (etsi à se non desideratam nec intentam) & eos effectus, ob quos S. Thomas ait posse appeti gloriam. Et hac quoque in re verificatur illud Christi promissum Lucæ 14. 11. *Qui se humiliat, exaltabitur.* etsi non intendat is qui se humiliat.

64. Quoad secundum, per occasionem S. P. N. Ignatius intelligit, omnem talem actionem & verba, quæ vel merito quemvis prudentem scandalizare & offendere possent vel certè talia sint natura sua, ut non possint in bono sensu accipi, & in bonam partem trahi, tales occasiones fugiendæ sunt. Et ita B. Angela de Fulgino, in doctrinâ sibi diuinitus traditâ, & Deo distante à se Italicè conscripserat, c. 60. vitæ suæ, id de Christo ait: *Honorem mundi semper fugit, & verecundias semper tolerauit, & libenti animo acceptauit, non dante ex parte suâ occasionem nec causam.*

Primi generis exempla sunt, omnia ea, quæ speciem peccati habent, uti est osculari publicè faminas (quod à quodam sancto ad sui despicentiam publicè in templo fieri solitum, scio à testibus oculatis) simulare iracundiam, & verbis, signisque, vel factis eam prodere, uti ideim faciebat, tunc cum ea prodi non debetio dem curtu cum feminâ vehi, socio non præsentem: noctu in angulis & tenebris loqui, in locis non peruiis, cum personâ suspectâ, vel periculosa, vel non bonæ famæ, & his similia. Huc refert potest factum illud cuiusdam Monachi, qui comitante faminâ urbem est ingressus, ducens eam tanquam itineris sui comitem. Talia sunt exempla non imitanda à religiosis, imò à nullis, quia rarè sine peccato fiunt, quæ refert S. Ioannes Climacus gr. 26. col. 11. de quodam Fratre qui aliquando ignominiam affectus, cum omnino corde motus non fuisset, in ignominia lamentari cepit, hac sic perturbatione tranquillitatem suam abscondens: alius item ex Fratribus, cum primam sessionem omnino non cuperet, hanc se appetere avidissimè finxit: alter solitarius primo manè vna borrum allatum, summo quodam ac celeri impetu illum deuorauit absque appetitu vilo, per hoc se ipsum gula addictum dæmonibus indicans: alius cum modicas amisisset palmas, totâ die se merentem finxit. Et infra laudat quendam, qui ut duos auocaret ab impuro quo se diligebant amore, vnicuique dixit de altero, quod ipsum maledictis insectaretur, & sic ad discordiam perduxit, & odio infesto fornicationis vinculum dissoluit. Et gradu 25. col. 4. altissima humilitatis argumentum esse ait, culpas, que non adsint in quibusdam rebus, vilitatis gratiâ confingere: & laudat quendam, qui veste reiectâ absque vllâ passione ciuitatem circumit nudus.

Hæc exempla à Societatis nostræ integritate, ad exemplum vitæ Christi & Apostolorum se conformare satagentis, longissimè debent abesse, etsi ab aliquibus Sanctis vilitata fuerint. Quod uti in illis verti non debet vitio, ita in nobis id facere, esset spiritus peregrinus à Clericali Apostolico abhorrens, & magis etemitico conueniens, quam ei statui, qui communi viâ Sanctorum, suam & proximorum perfectionem quærere debet, & habet regulam à S. suo Fundatore traditam id vesantem.

Secundis generis exempla sunt, quæ non tam

E e e mali

malitiæ, quàm stultitiæ speciem habent, vel leuitatis, quæ etsi in quibusdam Sanctis alterius instituti improbat non debent, à nobis tamén aliena esse debent, & à Christo Apostolicisque eius ac primariis Ecclesiæ sanctis Doctóribus non vísitata. Atque ita actus à S. Salo stultitiam simulante editi, nobis vitandi sunt: vti & illa S. Francisci denudatio, quam describit S. Bonauentura in eius vitâ: & alia similia quæ recenset in Opusculo de Confusione quærendâ c. 5. & 6.

*Tertium* his peius est, dum quis mentiendo sibi affigit peccata, quæ non admisit. Talium exempla commemorat S. Ioannes Climacus gr. 4. sed mirum non est, quia hic error occupauerat aliquos antiquos Monachos, vti Cassianum l. 5. c. 37. 39. & Coll. 17. c. 15. 16. 17. 20. Et Aloninum apud S. Dorotheum ser. 9. haustus ex doctrinâ Platonis, l. 3. de Repub. & l. 2. de legibus, damnatus à Scripturâ pluribus in locis, & à SS. Patribus, ac Iure Canonico.

65. Porro modi, quibus aliquis, occasionem non dando, potest incidere in malam opinionem, sunt hi, ii quæ duplices:

Primo negatiui, quorum aliquos enumerabo.

*Primus* est, si quis dum accusatus vel infamatus est, taceat, non se purget, non se defendat. Vti fecit S. Marina Virgo in virili habitu, sexum vitilem simulans, stupri insimulata: & S. Petrus Martyr accusatus, ob admissas ad cellam sæculares Virgines, cum eæ essent celestes.

*Secundus*, si quis, dum laudatur, commendatur taceat, & non impediatur laudationem. Tales enim ab imperfectis solent haberi pro laudis propriæ amatoribus.

*Tertius*, si exterius vites omnia extraordinaria, non requisita ad perfectam regulatum obseruationem, quæ si adhiberes, habereris in meliore, quàm alij opinione, vti sunt ieiunia ab aliis non obseruata, & his similia.

Sic S. Franciscus, vt author est S. Bonauentura in eius vitâ c. 10. *Quando*, inquit, à priuatis redibat orationibus, quibus penè in virum alterum mirabatur, summopere studebat conformare se ceteris, ne forte quod foris ostenderet, aura fauoris, intus à mercede euacuaret. Cum in publico, subitò afficeretur, visitatus à Domino, semper aliquid obiciebat adstantibus, ne sponsi familiares attractus forissecus vulgarentur; gemitus, duos anhelitus, extrinsecos nutus, orationes inter Fratres deuitabat, quia diligebat secretum.

Sic noster S. Ignatius, exceptâ admirabili externâ modestiâ & circumspèctione in loquendo, ac spirituali, sed hilari agendi cum sæcularibus modo, nihil singulare præ se ferens id (communi piorum Sacerdotum agendi modò vsus) lucratus est inter alia, vt cum anno 1599: me præsentè Romæ ageretur, de instituendo, auctoritate Apostolicâ processu, ad procurandam

eius Canonizationem, & ad hoc concedendum Cardinales SS. Rituum suum præbuisent consensum, quidam summæ apud omnes, & primariæ in Curia Romanâ auctoritatis Prælati (cuius nomini parco) mihi, & multis aliis adhuc viuentibus, benè notus, hoc impediuerit negotium, hanc solam sui facti reddens rationem, quòd dum esset adulescens nouisset optimè Ignatium, & nil in eo singulare aduertisset: id vitio tribuens, quòd virtuti Ignatij tribuere debuisset, ad Christi exemplar se conformanti de quo Ignari rerum & maleuoli dicebant: *Cum peccatoribus manducat Magister vester*. Et, *Manducat & bibit*. Et, *Vini potator est*. vnde coactus est, ipse humilitatis & mansuetudinis author, & omnis sanctitatis exemplar & Magister, Christus Iesus dicere pro consolatione suorum: *Beatus, qui non fuerit scandalizatus in me*.

His insitens vestigiis S. Franciscus Xaverius, in conuersatione cum bonis & malis erat lætissimus, omnibus fiebat omnia, vt Christo omnes lucrificeret; inuitatus ad conuiuia, ea adibat, in iis minimè retericus, sed valdè hilaris erat, & vt concubinarum turpem conuictum & numerum dissolueret, huius formam & speciem, aliarum turpitudinem exaggerabat, quòd hac ratione ad honesti matrimonij leges, concubinariorum, ad conuiuendum cum vnâ solâ perduceret. Quod quidem illi magnam apud Deum meritorum suppetitauerit materiam, sed apud rudes etiam domesticos, & apud maleuolos, magnam præbuit inuidiæ & maledicentiæ, non suo, sed illorum vitio, occasione, quemadmodum Romæ legi in Indico processu, pro eius Canonizatione factò. Omitto aliorum exempla Sanctorum, hæc sufficiant.

*Quartus*, si dona Dei maiora, præsertim ea, quæ vulgus admiratur, extra casus euidentiæ utilitatis, vel claræ necessitatis, etiam ob finem bonum, tamen nec vitilem, nec necessarium, omnino aliis non patefaciat. *Sanctorum virorum est*, inquit S. Gregorius lib. 19. mor. c. 14. *bona quæ fecerint occultare*. Hinc est etiam quòd Dominus duos cæcos iuxta viam sedentes illuminans, præcepit dicens Matth. 9. 30. *Videte ne quis sciat*. Cuius rei vix vlla est utilitas. Nam fructus, qui in aliis speratur ex tali manifestatione, vix, aut ne vix quidem, sequitur, vti patet experientia. Vnde legimus, multa magna miracula à variis Sanctis edita, nec reddidisse meliores eos coram quibus facta sunt, vel quibus manifestata sunt, & quandoque dedisse occasionem, ea irridendi, & Deum offendendi, iniquis censuris.

Ideo S. P. Noster Ignatius, cum multis annis rogatus esset à nostris, præsertim à Patre Hieronymo Natali, vt narraret vitæ suæ scienciam, pro ædificatione Societatis, ad eius instructionem & consolationem, non nisi ante mortem id facere cepit, & ægrè inchoatam narrationem per

per intervalla, quandoque aliquot mensium, prosequatur, vñs ad hoc operã Patris Ludovici Consalvi de Camerã Lusitani, Domus Professæ Romanæ tunc Ministri.

Negari tamen non potest, sæpissimè Deum, inuitos quodammodò cogere seruos suos, vt aliqua de se dicant laudis materiam præbentia, tum vt iuuentur audientes, tum ob alios fines, sibi nõtos, vt constat ex historiis Ecclesiasticis, capite sequenti commemorandis. Sed & hoc ipsum, quod Dei serui, Deo posituè impellente, faciunt, sæpè redundat in eorum humiliationem & contemptum, arcano Dei consilio. Hinc enim & aduersarij Dei seruorum, & alij rerum huiusmodi notitiam & experientiam non habentes, siue bono zelo mori, siue ex defectu experientie & plenæ cognitionis rerum Diuinarum, siue ab alijs inducti, occasionem arripiunt, salem manifestationem improbandi, carpendi, & apud alios traducendi. Quod seruis Dei eiusmodi magnam præbet humiliationis & meritorum materiam: præsertim, cum, vt ait Aristoteles, multa falsa, sint probabiliora veris. Ita enim sciunt aliqui proponere & colorare accusationes seruorum Domini in hac materia, vt inexpertis id persuadeant tanquam malum, & alijs noxiu: & hac ratione, multa boğa impediunt, quemadmodum incredulitas Iudæorum effecit, vt ne ipse Deus mira edere opera eam ob causam potuerit, teste Spiritu sancto, Matth. 13. v. 58. Deus tamen, qui dat cum tentatione prouentum, & qui seic ex lapidibus suscitare filios Abrahæ, & educere mel de petrâ, oleumque de saxo durissimo, facit, vt tales quoque aduersitates, diligentibus Deum cooperentur in bonum.

CAPVT DECIMVM.

An manifestatio Dei donorum, sit, in eo, qui illa alijs manifestat, contraria humilitati.

80. **P**rimã specie videtur esse humilitati contraria, has ob causas. Primò, quia humilitas impellit ad occultanda Dei dona, nam, vt ait S. Prosper, humiles refugium quicquid boni operantur agnosca. Hinc Daniel Stylita infirmos à se sanitates beneficium petentes, mittebat ad Oratoriu Reliquis sui Magistri Simeonis celebre, & ibi existentibus interim impetrabat eis sanitatem, vt ea non sibi absenti, sed illis Reliquis adscriberetur. Secundò, quia humilitatis actus est, optare malam de nobis aliorum opinionem. At manifestatio Dei donorum, præsertim miraculorum, conciliat opinionem sanctitatis, & abigit, si quæ erãt, malam aliorum de nobis opinionem. Tertio, quia Christus, qui à se nos discere humilitatem voluit, & se & sua do-

na miraculosa occultabat, & occultari ab alijs voluit, etsi viderentur necessaria, saltem vtilia, vt pro Deo haberetur, & crederetur, ac cole-

retur. Hanc enim ob causam celebrem illam sui Transfigurationem, quoad videret, occultam esse voluit: Præcepit eis, inquit S. Matthæus, dicens: Nemini dixeritis visionem, donec filius hominũ à mortuis resurgat, quod sanè illi nemini dixerunt in illis diebus, teste S. Luca. Et aliàs, cum omnes curasset, qui eum secuti erant, præcepit eis, ne manifestum eum facerent. Et cum curasset surdum & mutum, præcepit eis, ne cui dicerent. Et cum cæcis lumen restituisset, dixit eis: Videte, ne quis sciãt. Et cum leprosum tactu sua manus mundasset, ait illi: Vide nemini dixeris. Imò præcepit Discipulo suũ, vt nemini dicerent, quia ipse esset Iesus Christus. Et dæmonibus præcepit, ne eum manifestarent, & hominibus in quibus ij erant. Si ergo Christus sua dona miraculosa occultabat, etsi non esset superbia & vanitati, nec vlli peccato obnoxius, quantò magis homines puri, & peccatores expositi periculis vanæ gloriæ, eadem occultare debent, & in hac re Christi humilitatem imitari. Quarto, esto, sis magnus Dei seruus & plenus donis Sanctorum, tamen, vt docet S. Gregorius Papa, Sanctorum virorum est, bona, qua fecerint, occultare. Quintò, prima littera spiritualis Alphabeti est, vt ait S. Bonaventura: Amare nefari, & pro nihilo reparari. At qui dona Dei propria, mira præsertim, manifestat alijs, hoc ipso ostendit se velle sciri, & pro Sancto reparari: quod directè videtur esse humilitati contrarium. Antequam hæc argumenta solutam,

Dico primò, dona talia narrare ob malum finem, scilicet ob superbiam vel iactantiam, aut vanitatem & laudum desiderium inordinatum, peccatum est. Res est certa, non negatur, probatione non indiget. Quisquis se apud homines iactat, & ita venditat bona opera sua, vt finem eorumdem operum in laude hominum ponat, inquit S. Anselmus, eandemq; laudem hominum quasi mercedem computet operum suorum, nequam Christi seruus est. Et vt dicebat S. Odilo Abbas, teste B. Petro Damiano in eius vitã, quantumlibet sublimè sancti operis edificium, per vanam gloriam subidè corrumpitur.

Nec hoc tantum malum inde provenit, sed etiam Deo infertur iniuria: Ne requiramus laudes aliorum, inquit S. Chrysostomus, hoc enim Domino iniuria est, si tanquam non sufficiat ad nos laudandum, eo omisso ad conferuendũ festinemus. Quemadmodum enim, qui in paruo teatro certans, magnum sibi inquirunt, ac si illud non satis sit ad præbendam de se spectaculum: sic qui in conspectu Dei certantes, inde hominum sibi famam quarunt, maiori omisso teatro, minoris cupiditate, magnum sibi supplicium accersunt.

Nimirum ob superbiam & vanam gloriam, dum ex eius instinctu, Dei dona sibi collata, ob-

Matth. 17.9. Luc. 9.36. Mat. 12.16. Marc. 7.36. Matth. 9.30. Mat. 8.4. Matth. 16.20. Marc. 13.12. Matth. 12.16. 1.19. mor. cap. 14. tom 2. opusc.

h. 12. in 1. Corinth.

de virã  
Cout. 1.1. cap. 3.  
Mctaphr.  
in eius vi.

inordinatum laudis, famæ bonæ, & gloriæ, ac honoris appetitum, aliis vanè manifestant. De talibus loquitur S. Macarius: Si videris quempiam extollem se, & superbientem, propterea quod gratiam Dei est consecutus, (etiamsi miracula faciat, & mortuos excitet) non tamen abiecti sit, & nihil se facientis animi, nec pauper spiritus, ac abominandus, in se cuius surripitur à vicio: & licet signa faciat, non tamen ei credendum est. Hoc enim Christianæ religionis signum est, ut qui Deo probatus est, homines celare cupiat, & si vel vniuersos Regis thesauros possideat, illos occultare velit, ac vbiq; fateri, inquit: Thesaurus meus non est, sed alius illum apud me deposuit: ego enim mendicus sum, & cum volet ille, repetet à me. Si verò quis dicat: Dives sum, sufficit, bona possideo, non amplius egeo, ille non est Christianus, sed vas erroris & diaboli. Si te ipse laudaueris, inquit S. Chrysostomus h. 3. in Marth. nequaquam laudaberis à Deo: ita è regione si te ipse quasi miserum luceas, nunquam te ille predicare cessabit. Sec. Si te laudandum esse dixeris, reprobus effectus es, etiamsi fueras ante laudabilis. Si verò te inutilem esse fatearis, factus es utilis, etiamsi fueras ante culpabilis: propter quod necessaria est nobis, præteritarum obliuio virtutum. Et quomodo inquit possumus ignorare quod nouimus? Quid ais tu, cum quotidie offendas Dominum, nihilominus delicias ac rides, & inter magna peccata nec te peccasse nosti, obliuioni cuncta tradendo, solam verò non potes recede factorum abire memoriam: Et certe cum multo sit fortior pars timoris, nos è contrario quotidie offendentes Dominum, nec reuocamus quidem ad memoriam peccata, que fecimus. Si verò paruam aliquam inopi porrigamus stipem, sursum id deorsumq; iactamus; quod extrema omnia demens est, & grande illius qui spiritualia debet colligere, detrimentum. Satis certus enim thesaurus recte factorum obliuio. Quia sicut auxilium, vestemq; pretiosam cum in publico ponimus, plurimos ad insidias prouocamus; si verò ea recondamus, atque occultamus, domi in tuto cuncta seruabimus; sic sunt etiam diuitia virtutum, si eas in memoria quasi penales assidue portemus, armamus hostem, irritamus inimicum, & dolosum inuitamus ad furtum. Sin verò nemo alter id scierit, nisi quem nulla occulta latere possunt, rursus in loco pretiosa consistens. Nequaquam igitur huiusmodi bona frequenter euenies, ne quis ea forte diripiat. Quod etiam Pharisæus passus est, illa in lingua circumferens; vnde ea & diabolus rapuit: quoniam illa, cum quadam gratiarum actione memorabat, atque ad Dominum cuncta referebat. Sed ne hoc quidem profectò sufficit ei. Non enim grata actio est, salis exprobrare delicta, sibi à plurimis gloriam querere, & super eas qui peccauerunt, iactanter insurgere. Quod si gratias agis Deo, sufficit tibi ipse pro cunctis, nec velis ea in hominum proferre notitiam, neque proximum iudicare. Non est namque istud gratiarum actio. Vt autem quemadmodum vera Deo gratia referantur, agnosce: Audi tres pueros in medio ignis loquentes: Peccauimus, inique gesimus, iustus es, Domine in omnibus que fecisti nobis, quoniam in vero iudicio omnia induxisti super nos. Hoc est enim referre

gratias Deo, peccata ei propria confiteri, ut cum mille se aliquis reum fateatur malorum, nulla tamen pro his magna satis se arbitretur ferre supplicia. Caneamus igitur de nobismetipsis dicere gloriosa: hoc enim nos, & hominibus, & Deo abominabiles facit. Et idcirco quanto maiora fecerimus bona, tanto de nobis minor dicamus. Hoc enim modo maximam, & coram Deo, & coram hominibus gloriam consequemur, nec solum gloriam, que à Deo est, verum etiam mercedem retributionemq; plenissimam. Noli ergo mercedem reposcere, ut merearis accipere.

Dico Secundò. Si quis talibus à Deo donis ornatus sit, & labatur saltem venialiter, in peccata humilitati contraria, uti sunt vana complacentia, iactantia, gloriæ & laudum vanus appetitus, contemptus aliorum, rerum suarum inanis & iactabunda commendatio, vel certe, si periculum alicuius talis peccati timeret, talis nullo modo alteri, quam Superiori vel Confessario suo, directionis causa deberet dona eiusmodi propalare, ne alius propalando Deum offenderet, vel periculum offensionis propria voluntate incurreret.

Et ita meritò reuebat apud Theodoretum, Iulianus Abbas scè. 2. rel. hist. propalari se viquente, Draconem à se signo crucis interfectum. Hac enim, inquit, sunt celanda, que ad arrogantiam & fastum sepe excitant. Sed si ego hinc excessero, & ab eiusmodi animi perturbationibus fuero liberatus, non veto quominus dicas, & narres vim Diuina gratia.

Nam, ut quidam fenex in vitis PP. dixit, Ruff. lib. 3. n. 114. Sicut thesaurus manifestus minuitur, ita & virtus desperi publicata. Nam sicut cera à facie ignis soluitur, ita & anima per laudem resoluta, perit ab intentione sua.

Et hanc ob causam S. Marcianus apud eun. scè. dem, quamuis magna posse facere, & faceret miracula; studebat tamen celare virtutem, prædonis virtutis suspectas habens machinas. Arrogantia enim virtutum superseminans, labore collectos fructus conatur eripere.

Dico Tertio. Dona talia narrare Confessario, vel Superiori, alteriue perito, ad petendum consilium; vel ad plenam sui manifestationem faciendam, quam aliquorum Ordinum regulæ præscribunt, & docent Magistri vitæ spiritualis, non tantum peccatum non est, sed etiam necessarium; & si id omittatur, malum est & periculosum. Et de hoc nulla est controuersia.

Hoc præscribitur à SS. PP. à S. Basilio in reg. et. 1. Al. fus. disp. S. Bonaventura, S. P. N. Ignatio in Constitutionibus Societatis, & ab aliis, quos lege apud Nigronium, diligentissimè (ut sunt omnes illius lucubraciones, dignæ piis & eruditis oculis) collectos.

Dico Quarto. Extra hos casus supradictos, manifestare talia dona, citra iactantiam & vanitatem, ob finem aliquem bonum, v. g. ad ani-

mandum aliquem in Divino obsequio, & tribulationibus, ut non cesset Deo servire, & eius amore patri dura, videns à Deo etiam in hac vitæ fertus Dei recipere magna solatia, & fautores ratos, vel ob aliquem alium finem similem, proximorum necessitatis & auxilij, imò etiam ad conciliandam sibi fidem apud aliquem, ut tantò facilius ei credens, exequatur eius consilia & monita, quibus eum conatur abducere à vitâ tepidâ malâ, vel promovere in bono, & studio perfectionis, vel ad abigendum à pusillanimitatis aut desperationis spiritum, aut ad excitandum se ad maiorem in obsequio Dei fervorem, vel ob iustam in persecutionibus iniquis sui defensionem, vel ut ea scientes aut legentes, excitentur per recordationem eorum ad gratias Divinæ Majestatis pro iis agendas. Et ut, sicut per alphabetum ad Logicam perveniunt studentes, sic per istas velut per defricas imagines ducantur ad gustandum intra se manna illud absconditum, quod nullâ corporearum imaginationum admixtione valet pariri, sed solus qui edit, adhuc esurit, & ut hæc legentes aliqui in dulcedine pietatis Divinæ delectentur; & ut ea Dei iussu aliis revelando, quasi pretiosam gemmam auro, ornatam leuaret ex fini squalore: unde gloria ab iis gratiarumq; actio ad Deum rediret, cuiusmodi ex se provenire desperabat: ob quos quoque fines Dei expresso iussu S. Gertrudis Virgo suas visiones scripsit, & scripas ut ab aliis scirentur & legèrentur reliquit. Ob hos enim fines posse, imò debere, manifestare dona Dei docent SS. Patres infra citandi. Tunc talia de se narrare, cum debitâ veritate, humilitate, & moderatone, seu, ut loquitur id approbans S. Chryostomus, modestè & submissè, & totum gratiæ imputando, est actus bonus & meritorius, spectans ad habitum charitatis, quia ex eius motu, & sine elicitor hæc propositio.

Primò probatur Exemplis Christi Domini, & Sanctorum veteris ac novi Testamenti, qui omnibus sæculis in Ecclesiâ Dei floruerunt. In primis Christus Dominus, etsi ad dandum humilitatis exemplum, vel potiùs alias ob causas, ut infra ostendam, sua miracula occultati nonnunquam voluerit, ut nos doceret, ne Dei dona manifestarem, quando non exigit eorum manifestationem utilitas, vel necessitas propria nostra, aut aliena; tamen, ut etiam doceret posse nos & debere ob fines supra commemoratos manifestare aliis dona Dei, etiam huius rei reliquit exempla:

Primò, faciendo innumera miracula videntibus aliis. Secundò, iubendo Apostolos Evangelium annuntiare omnibus, ac proinde eius Divinitatem & sanctitatem, & miracula eius, quibus ut crederetur, dedit eis potestatem, suam prædicationem, in Christi laudes & commendationem redundantem, miraculis maioribus, quàm ipse fecerit, confirmandi.

Tertio, Expressè narrando discipulis Ioannis Baptista sua omnia miracula in genere: *Renuntiate Ioanni que audistis & vidistis: Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.* Et cum leprosum tactu manus suæ sanasset, etsi aliis è vulgo palam id indicari vetuerit, tamen iussit, ut is se, ab eo mundatum, ostenderet Sacerdoti. Magis autem intererat Christo esse in bonâ Sacerdotum, sibi in seorsum, opinione, quàm in opinione vulgi, quod sæpè Christo adhærebat; & ob quorum respectum Sacerdotes Christo non audebant nocere, uti voluissent, ne tumultus fieret in populo à quo Christus valde amabatur. Sic dum valde insigne edidisset miraculum liberato à 6000. demoniorum quodam (ut ait S. Hieronymus in c. 26. Matthæi) qui catenis ligari non poterat; nam eas, & compedes comminuebat, & à nemine domari poterat, velletque sic liberatus manere penes Christum, non admisit eum, sed ait illi: *Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia illis, quanta tibi Dominus fecerit, & misertus sit tui.* Et abiit & cepit predicare in Decapoli, quanta sibi fecisset Iesus, & omnes mirabantur. Erant enim ibi multi gentiles idololatras, quos, ut in Christum crederent, expediebat scire tam insigne miraculum eius, ut ait S. Chryostomus. Vbi etiam obferuavit S. Hieronymus modestiam Christi, dum non dixit, ut annuntiaret, quæ ipse ei fecisset, sed quæ ei Dominus fecit, ac si alterius personæ Divinæ, non suæ gloriam quæreret & cognitionem.

Et ita obseruavit S. Chryostomus, & Euthymius, ponderantes miraculum Ioan. 5. 4. descriptum Paralytici sanati, quod non tantum eum sanavit Christus, sed in seorsum portare lectum, in quo tam diu iacuerat, ut viso eo non tantum sano, sed etiam robusto, agnoscerent alij miraculi magnitudinem; inquam, obseruaverunt, ut notat Maldonatus, consuetudinem fuisse Christo, post facta à se miracula, simile quidquam facere, unde miraculi veritas ac magnitudo conspiceretur. Sic cum paucis panibus multa hominum millia saturauit, fragmenta iussit colligi, ex quibus quantum fuisse miraculum cognosci posset. Matth. 14. 20. & c. 15. 37. Sic curato leproso dixit: *Vade ostende te Sacerdoti.* Matth. 8. 4. Luc. 5. 14. Sic cum mortuam puellam ad vitam reuocasset, dixit: *Dato illi manducare.* Marci 5. 43. Cum aquam in vinum conuertit, iussit ferri Architrucino, Ioan. 2. 8. Denique cum alium paralyticum sanasset, iisdem præcepit, ut lectum suum tolleret, & in domum suam abiret. Matth. 9. 6. Ex quibus patet, Christum non tantum sua, quando opus erat, manifestasse miracula, sed etiam procurasse, ut eorum magnitudo per publicam manifestationem etiam aliis appareret. Hoc ipsum confirmatur oratione Christi pridie mortis suæ factâ, sic Patrem alloquentis: *Nunc clarifica me in Pater apud te metipsum claritate; quam habui priusquam mundus esset apud te.* Quâ oratione Christum Dominum à Patre

Ecc 3 petere

li. c. 10.  
& 11. &  
13. & 14.

Marth.  
11. 4. 5.  
Marth. 8. 4.

Matth. 4.  
25. c. 5. 1.  
c. 7. 28. c.  
9. 8. 33.  
36. c. 14.  
13. 14. 15.  
19. c. 15.  
30. 31. 32.  
c. 19. 2. c.  
20. 29. c.  
21. 8. 9.  
26. 46. c.  
26. 5. 10.  
12. 19.  
Marc. 5.  
19. 20.

h. 29. in  
Marth.  
in cap. 5.  
Marci.

in c. Ioan.  
Christo, post facta à se miracula, simile quidquam fa-  
5. 8.

Ioan. 17. 5

petere glorificationem humanæ naturæ, existimant S. Hilarius l. 3. de Trin. S. Chrysostomus, S. Cyrillus l. 10. thes. c. 9. S. Augustinus. At Theodoretus in Psalm. 92. & Maldonatus, de gloriâ naturæ Diuinæ loqui autumant, quoad eius publicationem. Petebat enim, inquit S. Cyrillus loc. cit. Opinionem & existimationem de se: O Pater, inquit Cyrillus citatus alibi à Celada, homo factus, id solum esse hominibus videor, nec cognitum sum coæternus tibi esse, δὲ ἕκαστος περ, id est, talem opinionem atque fidem hominibus per me largiaris, qualem haberent, credentes me apud te semper fuisse, etiam antequam mundus esset. Eo fine, inquit noster Didacus de Celada, desiderat Christus præclaram suam existimationem ante Passionem, ut sic homines magni aestiment Passionem, & opus Redemptionis & ignominiam crucis. Simili modo viri Dei, ab aliis irrisi, infamati, Diuina dona quandoque manifestant, ut per illa cognita fides habeatur, eorum monitis & doctrinis & exemplis, & derogetur aduersariis, famam eorum denigrantibus, sæpè cum offensione, perturbatione & scandalo pusillorum.

Sic Ioseph Patriarcha in adolescentiâ suâ nesciens malam fratrum suorum mentem, ut scribit S. Chrysostomus, tanquam eum fratribus cum eis loquebatur, & in somnia ipsa, quæ sibi Deus reuelauerat præsignando gloriam sibi obuenturam, & fratrum subiectionem, in medium proponebat.

Sic Dauid, ut obseruat Chrysostomus de Inuidia, & liuore, narrate Saül coactus fuit, qualiter viros confecisset, non inanem gloriam querere volens, sed in necessitate constitutus, & ut illi fiduciam adferret, ne ad apparentis respiceret vilitatem, sed ad fidem inreitis latentem, & supernum auxilium, propter quod viris fortior erat iuuenis, armatis & militibus pastor. Et de laudibus Pauli. Dauid glorians, de eis utique gloriabatur quæ omendare audirent valebant.

Et ita Dauid suas virtutes & dona Dei commemorat, Psal. 118. 10. 11. 13. 14. 20. 23. 24. 30. 31. 51. 53. 57. 58. 61. 62. 87. 94. 97. 99. 100. 101. 102. 103. 104. 110. 111. 113. 123. 127. 128. 136. 139. 148. 159. 162. 163. 164. 167. 168. 174. Et Pl. 119. 7. pl. 130. 1. 2. psal. 131. 1. pl. 138. 21. 22. quibus omnibus in locis iuxta expositione Sanctorum, & de personâ suâ, non tantum personâ Christi, ad litteram loquitur.

Sic S. Iob. 29. 15. Iustitiâ indutus sum, & vestitus me sicut vestimento. & diademate, iudicio meo. Oculus sui cæco, & pes claudo, pater eram pauperum. Idem c. 31. 18. ait: Ab infantiâ meâ creuit mecum miseratio, & de utero matris meæ egressa est mecum. Quæ verba Sancti Iob conferens cum similibus Pharisæi verbis S. Isidorus Pelusiota Luc. 18. 11. l. 3. epist. 278. ait: Pharisæus ille, qui à nemine concitante & stimulante magnifica de se prædicabat, aliusq; quem vniversus terrarum orbis de se sentiebat, merito in Dei offensionem incidit, siquidem superbia morbo labora-

bat. At qui in gloriâ & splendore est, virtutes suâ occultat, cum autem inaledictis inestur, ut illas criminatio propulset, in memorat; quemadmodum clarus ille, atque omni laude præstantior Iobis fecit; ab omni culpâ remotus est.

Quâ de re ita scribit S. Gregorius: Quia misericors fuerat, dicit: Oculus sui cæco, & pes claudo. Et rursum, Pater eram pauperum. Quia disciplina custos & benignus, dicit: Cumq; sederem quasi rex, circumspiciant me exercitus, eram tamen merentium consolator. Quia humilis fuerat dicit: Si contempsit subire iudicium cum seruo meo, & ancillâ meâ, cum disceptarent aduersum me. Quia hospitalis fuerat, fateatur: Si despecti prætereuntem, eod quod non haberet indumentum. Quia largus in donis, dicit: Si non benedixerunt mihi latera eius, & de vellibus ouium mearum, calesactus est. Quia violentus non fuerat, testatur dicens: Si leuavi super pupillum manum meam, cum viderem me in portâ superiorum. Quia de inimici periculo nunquam exultauerat, dicit: Si gavisus sum ad ruinam eius, qui me oderat. Quia patiens fuit, & etiam suorum malitiam aquanimitate pertulit, dicit: Si non dixerunt viri tabernaculi mei, Quis det de carnibus eius ut saturemur: Quid est hoc, quod vir sanctus tot suas virtutes, inter flagella enumerat? quid est quod ore suo opera, quæ fecerat, laudat? nisi quia inter vulnera & verba, quæ hunc ad desperationem trahere poterant, ad spem animum reformat: Et qui in prosperitate humilis fuit, reuocatis bonis suis ad memoriam, infractus in aduersitate permansit.

Et l. 18. mor. explicans illud Iob: Neque enim tepehendit me cor meum in omni vitâ meâ; ac si, inquit, aperte dicat: Nequaquam me secisse reminiscitur, vnde in suis precibus confundatur.

Et Samuel, inquit S. Chrysostomus, aliquando gloriatus est, & propria rectè facta patefecit, super tali re quadam, quam præcipue discere Regem illius temporis oportebat, id est, de conferendâ integritate iustitiæ, & manibus abstinendâ à muneribus.

Et S. Ezechias de se dixit: Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfectio, & quod bonum est in oculis tuis fecerim. Vbi S. Hieronymus; Irurus, inquit, ad Dominum narrat opera sua, quomodo ambulauerit coram eo in veritate & in corde perfectio. Felix conscientia, quæ afflictionis tempore bonorum operum recordatur.

Sic Sara, postea vxor Tobis: Tu scis, Domine, quia nunquam concupiui virum, & mundam seruauit animam meam ab omni concupiscentiâ. Nunquam cum ludentibus miscui me, neque cum his, qui in leuitate ambulanti participem me feci. Virum autem cum timore tuo, non cum libidine meâ, consensi suscipere. Hanc autem orationem cum laude propriâ, seu commemoratione suæ virtutis, coniunctam, Deo placuisse apparet ex v. 24. vbi dicitur: Exaudite sunt preces amborum, in conspectu gloria summi Dei.

Esther quoque Deum precatura, sua rectè facta commemorat: Nosti quia oderim gloriam iniquorum,

in c. 8. Iudith. §. 19. num. 74.

in c. 5. Iudith. §. 9. n. 38. 39.

tit. 11.

hom. 9. i. Ezech. 1. Cor. 11. & 12.

1. Cor. 11. 43. 1. Cor. 12. 11. 1. Cor. 13. 10.

Quorum, & detestor tubile incircumcisorum, & omnia alienigena, & quod abominer signum superbie, & gloria mea, quod est super caput meum; in die ostentationis meae, & detestor illud quasi panum mensuratum. &c. & quod nunquam latata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum vsque in presentem diem, nisi in te Domine Deus Abraham. qua oratio Deo fuit gratissima, & factis comprobata felicibus.

Et Nehemias 2. Esdr. 5. 19. Memento mei, Deus meus, in bonum, secundum omnia, qua feci populo huic.

119. fac. De Beatissimâ Virgine Maria in sermone dictato S. Brigittæ ore Angeli, dicitur: *Vidisti* (inquit, post Christi ascensionem) ad ipsarum consolationem Virgo gloriosa referebat, quod quamvis ex materna charitate sibi non placuisset, quod suus amantissimus Filius, moriendi voluntatem habuisset; verumtamen sua voluntas materna, Diuinâ se voluntati totaliter conformauerat, eligendo potius ad Dei voluntatis perfectionem omnes tribulationes humiliter sustineret, quam ad aliquod suum placitum, à Diuinâ voluntate in aliquo dissentire. Tali enim colloctione, viduarum animos patientes in tribulationibus, & constantes in corporis tentationibus satiebat. Coniugatis de se ipsa referebat, qualiter ipsa Deo fidem suam sinceriter dederat, & qualiter propter ipsius charitatem Diuina voluntati in aliquo nunquam resisterat.

hom. 9. in Ezech. 1. Cor. 11. & 12. Sic S. Paulus Apostolus, vt obferuat S. Gregorius, quoties sustibus casus, quoties lapidatus, quoties naufragium perculit, quanta pro veritate sustinuit, quod ad tertium celum raptus, quod in Paradisum ductus sit, Corinthiis narrat, vt eorum sensum à falsis predicatoribus auertat, vt dum se innotesceret, qualis esset illi eis viscerens, quos ab iis cognouerat iniquè renerari. Et, *Ministri Christi sum, plus ego. Et, Nihil minus sui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli, signa tamen Apostolatus mei facta sunt super vos in signis, & prodigijs, & virtutibus. Et abundantius iis omnibus (scilicet Apostolis) laboraui.*

1. Cor. 11. 1. Cor. 12. 1. Cor. 15. 10. Et S. Chrysostomus to. 3. hom. 5. de laudibus Pauli, Paulus, inquit, cum à Pseudo-Apostolis carperetur, quasi non esset probatus Apostolus, nec habens à Christo aliquam potestatem, propter obretractationes falsas in laudes suas ire compulsus est, qua maxime dignitatem eius ostenderent.

Idem Apostolus narrat publicè suas plures visiones Act. 22. v. 6. 7. 8. 17. 18. 21. Et iterum Act. 27. v. 23. 25. Et iterum 1. Corint. 15. 8. Et signa per eum edita Act. 15. v. 12.

S. Dionysius Areopagita scribens ep. 10. ad S. Ioannem Apostolum & Euangelistam, hæc sibi de eo reuelata diuinitus ait: *Sum planè dignus cui fides habeatur, cum id quod tibi antè cognitum est, & didicerim à Deo, & dicam, te liberatum iri ex Patibni ergastulo, & in Asiam rediturum, in qua facturus sis benigni Dei imitationes, ac posteris proditurus, scilicet, scribendo res gestas Christi.*

S. Ephrem c. 3. Testamenti sui, scriptum reliquit: *Nulla modo in totâ vitâ meâ aduersus Dominum conuulsiuolus exiit: nec sermo stultus è labijs*

meis egressus est. Neminem in omni vitâ meâ maledictâ dixerat: nec cum vilo planè Christiano homine contentiosum me præbui. Et de penitentia & confessione ait: *Opera pretium est, vt quæ mihi à Spiritu sancto nuntiata sunt, omnibus significem. Neque Regis talentum abscondamus.*

S. Cyprianus suas & suorum visiones necessitate coactus prodit Epistolâ 8. (in quâ visiones quatuor diuersas refert) ante medium. Et Epistolâ 10. 34. 35. 40. 54. 69.

Idem ab aduersariis exagitatûs, sua merita propalat Epistola 55. apud Baronium Anno 255. rium. 30.

S. Gregorius Nazianzenus carmine suam vitam conscripsit, in quâ multa in magnam sui commendationem vergentia recenset. Inter alia de se hoc scribit: *Corpore virgo sum. Et in oratione habitâ coram 150. Episcopis prædixit quemdam illo in loco futurum, & dixit se id prædicari, & sibi hoc sacrum Spiritum prædicere, vt scribit in eius vitâ Gregorius Presbyter. Et Martyrologium Romanum 25. Febr. de eo hæc habet: Nazianzi S. Casarij fratris B. Gregorij Theologi, quem idem Gregorius inter agmina Beatorum se vidisse testatur. Idem S. Gregorius Nazianzenus or. in E. hæreticorum maleuolentiâ de honestatis sic de gypc. E. se loquitur: O Trinitas (ac venia deit' audacia) Dei, ipse sum imago supernæ gloria.*

S. Antonius Abbas, teste S. Hieronymo, quæ viderat contigisse sibi circa S. Paulum primum Eremitam, dum secundâ vice eum inuiseret, reuersus ad monasterium discipulis ex ordine cuncta narrauit: Nimirum quod vidisset inter Angelorum cateruas, & inter Prophetarum & Apostolorum choros, niueo candore Paulum fulgentem, in sublimè conscendere: Et quod duos leones vidisset intrepidus: & quod ij, cum motu aurium, ceruice deiectâ ad eum perrexerunt, manus eius pedesq; lingentes, benedictionem eius postulantes, & se eis vt abirent imperasse manu annuendo.

Et S. Athanasius in eius Vitâ, multas recenset visiones & reuelationes, & alia mira, ab eo Monachis; qui eum visitabant spiritualis vilitatis gratiâ, solitas manifestari, & rogantibus, & non rogantibus. Et tandem c. 39. sic scribit S. Athanasius: *Neque verd id quod sibi reuelatum fuerat, causa iactantia, Patribus indicabat, sed cum orans iugiter Dei laudaret auxilium, interrogantibus compellabatur edicere, nec spirituales filios, pura in Christo anima occultare quicquam volebat: præsertim càm huiusmodi signorum relatio, & amorem ministraret proposito (id est, erga statum monasticum quem elegerant, in quo confirmabantur talium auditione rerum) & fructum laboris (in obsequio Dei exantlati) ostenderet.*

S. Onuphrius Abbas totam vitam suâ narrauit Paphnutio, antea sibi ignoto, nunquam suo discipulo, tum quia inuentum casu in eremo Onuphrium rogauit, eam vt sibi narraret. Qui sine cunctatione statim totius vitæ suæ cursum

ei detexit; inter alia præclara hæc: Quòd per 70. annos nullum hominem viderit: Quòd per Angelum ductus sit in eremum: Quòd sanctus Angelus illi quotidie panem offerebat, & aqua pro mensurâ ministrabat, vt corpus confortaretur, ne deficeret, & iugiter in laude Dei perseveraret: Quòd omni die Dominicâ vel Sabbatho ab Angelo Eucharistiam, reciperet. Sic scribit in vitâ S. Onuphrij Paphnutius Abbas apud Rosveydum l. 1. pag. 100. & seq. Et ipse Paphnutius ibidem narrat, se in defectu quodam vitium, ob defectum cibi & labores itinerum vidisse Angelum, & ab eo vites eius restauratas. Et mortuo Onuphrio se audivisse cætos Angelorum in discessu illius animæ, Deum laudantes.

S. Pachomius Abbas narrauit Fratribus, vitam à se cuiusdam Fratris procul distiti animâ, ab Angelis Domini suaviter canentibus, ad beatam vitam perennemque sustolli. Idem visionem dæmonum, & colloquium cum eis habitum à se, & eos à se fugatos narrauit, conuocatis ad hoc domesticis, & cuncta, quæ viderat, & audierat, etiam per litteras absentibus insinuauit.

Sanè si quando ob vanitatis periculû, occultandi sunt miri Diuini fauores, est tempus mortis, quando dæmon magis Dei seruos impugnat vanitatis spiritu, sciens quòd modicum iam ad tentandum tempus habeat: tamen ante ipsam mortem legimus Dei seruos admirabilia Dei dona, & præterita, & præsentia suis manifestasse amicis. Plura talia exempla recenset S. Gregorius Papa in suis Dialogis; addam ego è libris non ita peruis excerpia.

**I. 3. Vit.** Scribit Rufinus, cum Abbati Sifoi moribundo multi senes adessent, vidisse faciem eius fulgore quodam radiantem, & Sifoiu dixisse: Ecce Abbas Antonius venit ad nos. Et post parum ait: Ecce & chorus Prophetarum. Et iterum facies eius clariore luce aspersa est, & dicit eis: Beati quoque Apostoli adfunt, visusq; est cum quibusdam loqui. Cum ergo postularent ab eo Patres, vt cum quibus loqueretur ediceret, ait ille: Angeli, inquit, venerunt auferre animam meam, & supplico illis, vt paululum me pro penitentia agenda sustineant. Dicunt autem ei Patres: Tu iam non indiges penitentiam agere Abba, at ille respondit: In veritate dico vobis, quia nec initium penitentia me reminiscor arripuisse. Tunc in splendore solis, eius effigie relucente, dicit ad eos ipse: Videte, videte, quia Dominus venit. In hoc sermone reddito spiritu, omnis locus ille grato odore repletus est.

**I. 5. inst. cap. 18.** Scribit Cassianus Abbatem Ioannem, morti proximum rogatum à Fratribus, vt aliquid eis memoriale relinqueret, per quod possent ad perfectionis culmen, præcepti compendio facilius peruenire; ingemiscens ille, Nunquam, ait, meam feci voluntatem, nec quenquam docui, quod prius ipse non feci. Et Coll. 19. c. 4. refert Abbatem Ioannem hæc dixisse Cassiano, & eius socio Abbati Germano: Memini me

in huiusmodi raptum frequenter excessum, vt obliuiscerer me sarcinâ corporeæ fragilitatis indutum, mentem, meam ita omnes exteriores sensus subitò respulisse, & à cunctis materialibus rebus omnimodis exulasse, vt neque oculi; neque aures meæ, proprio fungerentur officio, & ita diuinis meditationibus ac spiritualibus theoriis animus replebatur, vt sæpè ad vesperam me percepisse nescirem, ac sequente die de befermâ absolute tenentis penitus dubitarem. Monuerat autem eos c. præced. Quæso vt non iactantia vitio, sed adificationis vestra depromptum studio censeatis, quia vobis tam studiosè querentibus nihil de veritate existimo subtrahendum. Arbitror enim instructionis vobis aliquid posse conferri, si paulisper humilitate sepositâ, simpliciter omnem propositis mei patefecero veritatem. Hoc ipso modo atq; Dei serui, dona Diuina sibi concessa aliquando patefaciunt.

Similiter alter senex solitarius, cum esset derelictus in infirmitate à Fratribus, & habuisset Angelum à Domino missum, qui ei per septem dies ministravit, cum visitasset eum Fratres, id eis narrauit, & hæc dicens obdormiuit in pace.

S. Paphnutius (vt scribit Palladius, & Rufinus Aquileiensis apud Rosveydum) visionem Angeli ad se à Deo missi, & se ad æterna tabernacula, sibi à Deo præparata, paulò ante mortem inuitantis, quibusdam Presbyteris, qui ad eum visitandum venerant, notam fecit.

S. Ioannes Climacus scribit S. Mennam habuisse discipulum, qui magistri omnia plenissimè nouerat, & de his certiores domesticos reddebat.

S. Dorotheus de se quædam narrauit, & videtur quoddam recenset.

S. Benedictus cum diuinitus liberatus fuisset à tentationibus carnis, aded vt nunquam amplius totâ vitâ eas patereur, id post discipulis ipse de se perhibebat, vt scribit S. Gregorius l. 2. dial. c. 2.

S. Alexius, moriens, vt dicitur in Breuiario Romano 17. Iulij, cum in domo paternâ incognitus decem & septem annos vixisset, reliquit scriptum sui nominis, sanguinis, ac totius vitæ cursum.

S. Ilidorus, Presbyter & Xenodochus apud scd. Palladium in historiâ Lausiaca, dixit Palladio, rogatus cur in mensa esset lachrymatus? Pudet me vesi cibo, à ratione alieno, cum sim ratione præditus, & sim futurus in Paradiso deliciarum, & replendus ambrosia nutrimento, propter eam, qua nobis à Domino data est potestatem.

Abbas Pambo apud Palladium in hist. Lausi. cum esset in ipsa horâ excessus, eum circumstantibus Fratribus dicitur hoc dixisse: Ex quo veni in hunc locum solitudinis, & meam adificauit cellam, & hic habitauit, nullus fuit dies, quo non aliquid operis fecerim meis manibus, nec memini me ab aliquo panem gratis datum comedisse, nec me in hanc horam penitet altius sermonis quem dixerim, & sic ad Deum recedo, vt qui nec pius quidem ac religiosus esse caperim.

S. Martinus Episcopus Turonensis, teste Se-

ucto

cap. 24. uero Sulpitio eius familiari, qui sic scribit in eius vitâ: In Martino illud mirabile erat, quod non solum hoc quod supra retulimus, sed multa eiusmodi, quoties accidissent (scilicet visiones, prophetias suas, & miracula) longè ante prauidebat, & sibi nuntiata (diuinitus) Fratribus indicabat. Et infra: Cùm olim audirè fide eius, vitâ, atque virtutibus, desiderio illius astuarem gratiam nobis ad eum videndum peregrinationem suscepimus, simul, quia iam ardebat animus, vitam illius scribere, partim ab ipso, in quantum ille interrogari potuit, sciscitari sumus, partim ab his qui viderant, cognouimus.

Atque hac ratione, ex rebus ab ipso Martino sibi dictis, vitæ eius partem conscripsit, & quidem adhuc viuente Martino, vt ait Baronius. Huc ipse Seuerus Sulpitius epist. 2. scribit ad Aurelium Diaconum, sibi apparuisse post mortem S. Martini (quem tunc, humanitus nondum sciuerat esse mortuum) arridentem, libellumque quem de eius vitâ seriperat, dextrâ præferentem, & capiti eius manum tactu blandissimo supponentem eumque benedicentem. Seuerus Sulpitius initio & in fine epist. 2. tom. 7. bibl. SS. PP. recenset apparitionem S. Martini sibi factam. S. Chrysostomus, vt scribit S. Nilus Abbas, omni serè tempore videbat domum Domini referentem Angelorum cœtu, & tunc inprimis, cùm Diuinum & incruentum Sacrificium offerretur. Quo quidem tempore, stupore & leuitâ plenus, rem præcipuis amicis spiritualibus priuatim enarrauit.

Ruff. l. 1. cap. 10. Pall. c. 58. Copres Presbyter vir sanctus, teste Ruffino & Palladio, multas virtutes faciens, anguores curans, & efficiens sanitates, & demones fugans, & multa mirabilia faciens, rogatus à Fratribus, vt eis de suis gestis aliqua narraret, & ex quibus actibus quibusque meritis, ei Dominus tantam gratiam contulisset exponeret; nihil dedignatus est, & sua vitæ, & priorum suorum, narrare eis ordinem incepit, quorum tamen longè illustriores fuisse perhibebat &c.

Et cùm Patris Mutij magna miracula narrasset, de suscitatis ab eo mortuis, de ingressu ad Fratres ostiis clausis, & aliis, subditi: Quid ergo miramini, si nos parui homines, parua faciamus, claudos & cæcos curantes, quod & medici ex arte facere possunt: Quod humilitatis studio dixit, eleuans more Sanctorum sua miracula. Et postea narrauit eis etiam miracula per se facta valde rara. Illud inprimis quod ex arenâ ab eo calcatâ & asportatâ à quibusdam rusticis ad loca sterilia, & permixta seminibus sparsâ, per agros, tantum fructus collegerunt quantum nulla vsquam potuit. Aegripit terra colligere. Item quod steterit in medio ignis dimidiâ fetè horâ illæsus penitus.

Ruff. l. 1. cap. 10. Pall. c. 58. Idem scribunt Anophi virum sanctum, rogatum à tribus Monachis, vt enarraret de suis virtutibus & actibus, quibus Domino placuerat, ad imitationem posteris gestorum suorum memoriam relinqueret. Tunc ille, nihil, inquit, magnum se esse memini; hoc tamen custodius, ex quo nomen Saluatoris nostri

in persecutione confessus sum, ne post confessionem veritatis, mendacium de ore meo procederet, neque post amorem celestium, terrenum aliquid amarem: sed nec gratia Domini in his desuit mihi. Nunquam enim me fecit egere aliquo terreno, omnem, quem desideravi cibum, Angelorum mihi deferens ministerio. Nihil à me occultauit Dominus eorum, quæ geruntur in terris: nunquam desuit cordi meo lux eius per quam suscitatus somnum corporis non requirebam, desiderium habens semper videndi eum. Sed & Angelum suum assistere mihi semper fecit edocentem me de singulis quibusque virtutibus mundi, lux mentis meæ nunquam extincta est. Omne quod petij à Domino sine morâ consecutus sum. Ostendit mihi frequenter multitudines Angelorum assistentium sibi: vidi & cœtus iustorum, congregationesque Martyrum, Monachorum conuentus, omniumque Sanctorum &c. Cùmque hæc, & multa alia huic similia, per totum triduum enarrasset eis, tradidit spiritum, & continuò viderunt ipsi, ab Angelis suscipi eius animam, atque ad caelos ferri.

S. Gregorius Turonensis, in Præfatione seu Epistolâ, quam præfixit quatuor libris de scriptis de miraculis S. Martini, narrat aliquas visiones suas, quibus excitatus fuit ad descriptionem, easque expresso iuramento sibi contigisse confitetur.

Idem libro de gloria Confessorum, duas visiones sibi factas in infantia, quibus diuinitus edoctus fuit modos sanandi patris sui infirmi, qui cùm adhibiti essent, eo matri illos referente, statim pater eius ab infirmitate conualuit. Sic teste S. Bonaventura in vitâ S. Francisci, cùm diuinitus S. Franciscus stigmata accepisset, & videret publicare Domini sacramentum, vocauit aliquos ex Fratribus, & generalibus verbis loquens, dubium eis proposuit, & consilium requisit. Quidam verò ex Fratribus, gratiâ illuminatus & nomine intelligens, quod aliqua miranda vidisset, pro eo quod videbatur admodum stupefactus, dixit ad virum sanctum: Frater, non solum propter te, sed etiam propter alios, scias tibi aliquando ostendi sacramenta Diuina: timendum propterea iure videretur, ne, si quod pleribus profuturum accepisti, celaueris pro talento abscondito reprehensibilis iudiceris. Ad cuius verbum motus vir sanctus, seriem reuulsi visionis priuata.

Et alio in loco Vitæ eius scribit: Cùm Christi Crucifixi ei veniret in mentem, vix poterat à lachrymis & gemitibus exterius contineri, sicut ipse postmodum familiariter retulit, cùm appropinquaret ad finem, reuulsi vitæ, quando eius sanctitas & humilitas maturuerat.

Et c. 2. n. 1. tùm orans in templo corporeis auribus vocem de cruce Domini ter delapsam audiuisset, dicentem: Franciscus vade, & repara domum meam, quæ, vt cernis, tota destruitur, cùm sensum horum verborum Spiritus sanctus, eum edocuisset, ipse postmodum Fratribus reuelauit.

De eodem scribit S. Bonaventura, eum diuinitus sibi reuelata non vulgasse exterius, nisi quantum Christi vrgebat charitas, & proximorum utilitas exigere.

exigebat, & tamen in humilitatis virtute maxime S. Franciscus excelluit.

Idem in testamento suo, edito à Seruatio Myricano, scriptum reliquit hoc: Ipse altissimus reuelauit mihi, quòd ego deberem viuere secundum formam sancti Euangelij. Et infra: Salutationem mihi Dominus reuelauit, vt dicerem: Dominus dei tibi pacè. Quod in omni pradicacione sua dicebat, inquit S. Bonauentura in eius vita, & sic populù in sermonis exordio salutabat. Hanc quippe salutationem Domino reuelante didicerat, sicut ipse postmodum testabatur.

S. Nicolaus Tolentinas, multas à se animas è Purgatorio liberatas (quas viderat) manifestauit, & Angelicos concentus, per 6. ante mortem mentes à se auditos, & moriens, visum à se Christum Dominum, cum Beatissimà Virgine, & S. Augustino, se inuitantem ad cælum, & dicentem sibi: Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.

S. Dominicus moribundus, vt scribit in eius vitâ Ioannes Flaminius, oculos & manus in cælum sustulit, ac dixit: Sancte Pater, non nosti quàm libenter & quàm constanter in tuâ voluntate permanferim, & quos dedisti mihi custodierim & seruauerim? Et conuersus ad suos: Ero vobis charissimi fratres viuitor ac fructuosior post obitum meum, quàm dum vixi.

S. Thomas Aquinas de se narravit, constrictos sibi lumbos ab Angelis, & ab eo tempore abactum à se omnem libidinis sensum: & dicere solitum socio Reinaldo, Quicquid sciret, nò tam studio aut labore suo peperisse, quàm diuinitus traditù accepisse; à Crucifixi imagine audiuisset hanc vocem: Bene scripsisti de me Thoma. Eidem patefecit, sibi apparuisse SS. Apostolos Petrum & Paulum, à Deo missos & quendam locù difficilem ex Isaiâ expallisse luculenter, vt scribit Surius in eius vitâ. & alij.

S. Vincentius Ferrerus prædixit Alphonso, eum fore Papam, & se ab eo canonizandum, quod 50. post annos, tertio Mense sui Pontificatus fecit.

Idem in concione prædixit, Bernardinum Minoritam tunc ibi præsentem, diutius se victurum, sed priùs canonizatum iri, quàm ipsum. Et fororis suæ ac matris obitum sibi, diuinitus reuelatum, è suggestu palam omnibus indicauit. Et quidem de matris obitu & gloriâ sic locutus est: Non miremini, filij mei, didici enim à Domino hac hora Valentia è vitâ abiisse matrem meam, & eâ de causa lachrymabam: at nunc illi gratulor, postquam in idem cognoui eam piè ac religiose hinc emigrasse, & viuere cum Christo in cælis. Ita in eius vitâ apud Surium.

S. Petrus Martyr, narravit de se, quid à Christi Crucifixi imagine se alloquente audierit, dum coram eâ sui humiliationem exponeret, & quòd Virgines illæ, quæ eius ingressæ erant cubiculum (ob quas in exilium actus fuit) fuerint cælestes, non terrena.

S. Catharina Senensis magnum Dialogorum

librum diuinitus, & se illorum doctrinam Deo reuelante accepisse narravit: quam ob causam Pius II. in Bullâ eius Canonizationis scripsit hæc ipsa verba: Doctrina eius infusa non acquisita fuit. quod etiam Urbanus VIII. in eius officio confirmauit. Eadem mira alia dona, vt stigmata, cordis mutationem, communionem à Christo sibi datam, & alia manifestauit plurima, quæ in eius vitâ copiosè narrantur.

S. Bernardus cum eius miracula multiplicarentur, & indies, disputans secum in cogitationibus suis, domestica sibi religiosus, quibusdam Fratribus aiebat: Plurimum miror, quidnam sibi hæc miracula velint, aut quid visum sit talia Deo aditari per talem. Nihil mihi videor in sacris paginis super hoc genere legisse signorum. Siquidem facta sunt aliquando signa per sanctos homines & perfectos. Ego mihi nec perfectionis sum conscius, nec fictionis. Hæc & huiusmodi crebrius secretiusq; cum viris spiritualibus conferebat.

Et alio in loco: Confessus est aliquando sibi meditati vel oranti sacram omnem, velut sibi se postam & expositam, apparuisse Scripturam. Et alibi: Cum quidam Clericus seculum relinquere, & ei adherere volens, eum adisset, illum intuitus S. Bernardus, cum subito inter loquendum surgeret, peteretq; vestigia eius, inclinauit se modicè. & Fratris cuiusdam propius astanti in aure locutus est, dicens: Ipsum ego, sicut nunc video venientem, nocturnâ visione preuidi, propter quem etiam Dominus nos adduxit. Idem, cum puerum fatuum & mentis inopem, claudum quoque surdum, ac mutum per orationem & manus impositionem, ab his omnibus liberasset, & fratres loquerentur mirud hac de re, ad eos S. Bernardus, Flagellum, inquit, Dei erat, & maligni spiritus dira vexatio. Vidi enim nocte præteritâ hoc eodem in loco, vbi sanatus est puer, oblatum mihi puerum talem, exeunte ab eo spiritu nequam, omnem protinus recipere sospitatem vniuersi membrorum. Addidit etiam vir beatus, de eadem visione: Cumq; paululum processissem in eodem itinere, quo nunc pergimus, iuxta proximum vicum (dicebat autem de eo, quem nominant longum-campum) offerebatur mihi puella clauda, & Dominus ei gressum redderet. Audierunt & mirati sunt Fratres, futuri magis attoniti expectatione miraculi, quàm recordatione præteriti. Ventum est ad locum, inuenta est ibi protinus puella clauda, expectans hominem Dei transturum, & à simul transeuntibus iuxta verbum quod ipse dixerat, expectata. Oblata igitur ab eis, qui attulerant eam, stigmata ab homine Dei, ex Dei munere gressum recepit. Anno altero, alio in loco, cum mane factis pararet abire, dicebat Fratribus, quia vidi per visum noctis introeanti mihi ecclesiam, offerri claudam feminam, & sanari. Post vnam serè horam, in basilicâ Mammetis Martyris, oblata est ei clauda mulier, & erecta, mirantibus quidem omnibus, sed eis amplius, qui sicut videbant factum, ita sese recordabantur audisse futurum. Et de alterius claudæ curatione confessus est Pater sanctus, quòd præcedenti nocte sibi præsentis fuisse.

Idem

Idem alio in loco, & tempore, prædixit pacem inter discordantes futuram. Quibus etiam vnde id nosset innotuit, dicens se id per nocturnum soporem prævidisse. Et c. 43. in Cant. Fratibus cum iuramento dixit in exhortatione: Passio Christi mihi in ore frequenter sicut vos scitis: hac in corde semper, sicut Deus scit. Et c. de quadruplici debito, dixit publicè, è suis manibus Monachorum, Nouitiorum, & Conuersorum animas ad caelestia gaudia volasse, tam liberar, quam liberatas de carcere nostræ mortalitatis, seq. id scire ex certissimis signis, sibi inde factis & ostensis, scilicet ex reuelationibus, de iis, vel ex apparitionibus eorum post excessum è corpore.

B. Laurentius Iustinianus, præter ea Dei dona, quæ de se vitæ voce suis filiis narrauit, vt est in eius vitâ à Bernardo Iust. scriptâ, tû alibi, tum etiam in scriptis vtilis, quædam admirabilia de se, ad aliorum vtilitatem vulgatur. Sic in Ligno vitæ, inter alia beneficia sibi diuinitus concessa, scribit, quod benignus Dominus, in eorum numerum se adscripserit, quorum remissa sunt iniquitates.

Itē in Fasciculo amoris scribit sibi apparuisse Diuinam sapientiam, salutaria monuisse, & pacis osculum dedisse, quæ dixit se communicare illis, pro Dei gloriâ, & eorum profectu, quod in cordis penetrabilibus occultè perceperit. Et, vt in eius vitâ scribitur, Discipulo suo reuelauit, sibi à Deo datum fuisse, vt quouis loco, aut tempore se colligere vellet, & in calum mentem erigere, semper posset. Nepoti quoque suo (vt idem scribit) dixit, eius parentem mortuum, saluum esse.

S. Gertrudis, vt apparet ex eius vitâ, passim ferè omnia manifestabat diuina vitâ & reuelationes, dicebatque eas sibi pro aliis dari, vt earum notitiâ alij iuuarentur. Quod cum Dei iussu fecisset, & postea partim propriâ manu, partim alienâ libris quinque comprehendisset, miras Dei apparitiones & colloquia cum eâ, & fauores rarissimos, Christus Dominus omnia scribi iussit, & scripta valde probauit & commendauit, & publicari ab eâ voluit libr. 1. cap. 16. l. 5. c. 6. & 33. & 36. & l. 2. c. 10. & l. 3. c. 1. & 64. l. 4. c. 56.

Ibidem l. 5. c. 13. scribitur, quandam sanctam Virginem defunctam, & cælesti beatitudine donatam, apparuisse alteri, hæc dicentem: Tota illa caelestis arca, in quâ habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter, scilicet dulcissimum cor amatoris mei Iesu Christi, est mihi reueratur, exceptâ vnâ clausulâ, quæ mihi non patet, quia hoc non promerui in vitâ meâ. Nam quod ibi intus latet, hoc tantummodò reueratur illis, qui tali dilectione Deum amant in terris, quod omnia bona, quæ sicut libenter toti mundo notificarent, vt Deus amplius glorificaretur. Quam charitatem ego non habui, sed delectabar, sola cum solo scire quicquid dono eius accepi. Vnde ad id superuicundum gazophylacium non admittor, quod talibus preparatur.

Eadem Gertrudis: Humilis sui cognitio profun-

dissima, humiliatio, ipsam sola vrgebat, quare Dei dona alius manifestabat, videlicet quia in se (vt putabatur) essent otiosa; manifestata verò, in aliis saltem fructum, & Deo laudem operarentur, præsertim cum crederet propter se duntaxat nihil, verum propter aliorum salutem omnia se recepisse. Et paulò supra: Omnium se indignissimam arbitrabatur, præsertim tunc, si quando dona sibi collata, aliis non fecisset communia. Tunc enim sibi videbatur ea, quæ non propter suam tantum vtilitatem recepisset, suâ tamen desidâ neglexisse, illaq. sibi abscondisse. At verò si quem horum fecisset participem gemmas, hoc est, dona Dei arbitrabatur se auro ornasse. Postea l. 1. c. 10. Vita, Christus iussit vt scripto ederet gratias, quas ei communicabat; & cum illa satis esse censeret, reluctanti eas ore tenus enarrare, non scriberet; Dominus, inquit, obiecit verbum illud, quod ipsa nocte ad matutinas audieram lectum. Si Dominus doctrinam suam presentibus tantum dixisset, dicta tantum essent, & non scripta: sed nunc etiam scripta sunt propter multorum salutem. Et addidit Dominus: Certum Diuine pietatis mea volo habere testimonium in scriptis tuis, his nouissimis temporibus, in quibus dispono benefacere multis; vtque id melius faceret, ipsa verba ab ea scribenda, leniter suauiterque ei in stillaturum promisit, & re ipsa per dies 4. præstitit. Et cum aliâ cogitaret, quantum fructum hæc eius scripta possent hominibus adferre, Dominum audiit suis cogitationibus respondentem: Et quid tibi vtilitatis videtur provenire ex iis, quæ de Sanctis meis leguntur, nisi vt legentium audientiumq. augetur deuotio, & erga humanum genus pietas mea reueletur: Pari modo aliquorum potest accendi deuotio ad eorum desiderium, quæ te legunt acceperit ex me considerantium gratiam ac liberalitatem bonitatis meæ, qui subinde studebunt suam mutare vitam ad meliora. Et cum illa diceret Domino futuros plerosque qui talia vilipenderent & calumniarentur; Dominus ei dixit: Si qui maligno corde maluerint ea calumniari, peccatum illorum sit super eos, te immuni perseverante. Propheta namq. ex me dicit: Pœnam eis offendiculum. ac si diceret: Multa dispono, permitto, aut iubeo in salutem Electorum, licet reprobi scandalizentur. Hoc sensu etiam Virgo illa verba accepit, intelligens Dominum sæpenumerò instigare Electos suos, vt aliqua faciant, vnde alij scandalizentur, licet non propterea id fiat, vt scandalizentur proximi. Atque ideo electi non debent ea opera bona omittere, vt pacem ab iis, qui omnia inuertunt ac peruertunt, habeant. Optima enim pax est bonis mala vincere, hoc est, non omittere ea, quæ Deo quis scit esse beneplacita, licet imperfecti & mali ea peruertant, aut propterea murmurent. Tandem nono anno post acceptam singularem Diuine familiaritatis gratiam, Dei iussu, propriâ manu scribere cepit, quæ ei cum dilecto suo sponso contingebant, quæ toto libro secundo insinuationum Diuine pietatis leguntur.

B. Catharina Bononiensis, & in Breuiario suo, quod vidi, & in tractatu Italico, à se ex Di-

l. 1. c. 5. vit. seu in fin. in fin. diu. pict.

l. 1. c. 16.

Pro l. 1. & lib. 2. c. 10. & 24. & lib. 3. c. 64.

pag. 114.

uinâ

vinâ inspiratione, vt ait, composito, cui titulum indidit: *Arma necessaria ad pugnam spirituales*, describit suas gratias extraordinarias, & visiones, & reuelationes, scilicet quod Deo reuelante cognouit, se ad religionem vocatam diuinitus: quod Angelicos cantus audiuerit: quod viderit Beatissimam Virginem tenentem Iesum factis inuolutum, eumque ex eius manibus acceperit, tenuerit, & suam faciem in Christi faciem, mirum odorem spargentem, reclinauerit: quod Christi in Eucharistia præsentiam diuinitus intellexerit: quod SS. Trinitatis mysterium, & multas alias res notabiles Deo reuelante cognouerit. Et primâ vice, quâ communicauit, senserit gustum & suauitatem indicibilem ex carne Christi: quod à Deo sacram Communionem receperit indicibili & incomprehensibili modo: quod ex Dei reuelatione cognouerit sibi esse dimissa peccata omnia, & quoad culpam, & quoad pœnam: quod Dei iudicium in visione viderit. Et tales visiones ipsamet scriptas reliquit, vt dicitur 2. part. Hist. Francisc. à Marco Vlyssiponensi l. 7. c. 14. & à nostro P. Iacobo Grassetto in eius Vitâ ab ipso diligentius aliis conscripta.

Bapt. Per- B. Clara de Monte Falco, interrogata à duobus Theologis, de multis & difficultibus questionibus, respondit sine premeditatione valde bene, cum admiratione eorum: cumq; interrogata esset, quomodo tam facile responderet: ait: Scias me à Domino accepisse talem scientiam, vt si tota schola Parisiensis me interrogaret, sine morâ temporis resolverem quoduis dubium, & questionem mihi propositam.

3. p. c. 8. Eadem sepius suis dixit, se habere in corde Christi passionem impressam, quod eâ mortuâ, in exenterato corpore, agnitum est, & in corde eius inuenta Christi patientis mysteria, ad hunc diem aspectabilia.

3. par. c. 4. & 5. Eadem morti proxima, se videre Christum, & Beatissimam Mariam, & sanctos Angelos, aliosq; Beatos, & ab eis se inuitari ad celum, & illuc se ituram statim, palam omnibus præsentibus non semel dixit.

3. par. vit. cap. 20. Ordinariè non moriebatur vlla Monialis, vel benefactor monasterij, aut ei notus, qui iret ad celum, cuius ingressum in celum agnitum nõ manifestaret in publico Capitulo Monialibus, excitans eas ad reddendas Deo pro hac re laudes. Quod si alicuius animam in Purgatorio videret, eam precibus suarum cum magnâ instantiâ commendabat.

2. par. c. 27. Et alibi scribit, eam cuidam dixisse, si à toto mundo honoraretur, se nullam mutationem in se, nec initium vane glorie habituram; nec si ab omnibus vilipenderetur & vituperaretur, se ob id turbatum iri.

7. c. 6. 17. B. Angela de Fulgino Franciscana totam vitam suam, cum donis & visionibus innumeris sat copiosam, dictauit Arnolde Confessario suo Minoritæ. Extat latinè & Italicè edita, tum separatim, tum in 2. part. Hist. Francisc. edita à Marco Vlyssiponensi, in cuius fine narratur, alium librum ab eâ scriptum, in quo est eius

doctrina, & vita imitatione digna. Obit Anno 1309. 4. Ianuarij.

Porro in Latinè editâ Colonia Agrippinæ 1601. hic est titulus istius libelli: *Beata Angela de Fulgino ostendens nobis veram vitam, quâ possumus sequi vestigia nostri Redemptoris, ab ipsa Sanctissimâ fammâ Spiritu sancto dictante, liber hic conscriptus est* &c. Et Frater Arnaldus de Ordine Minorum in secundo Prologo posito ante Vitam B. Angelæ, scribit, se eius visiones & reuelationes scripsisse prout ex ore eiusdem audiuit, illam verò eam ipsi narrasse, ob multas eius preces, & ob præsentiam multum magnam dispendentiam, quam patiebatur ille, videns homines tantis donis propter humilitatem B. Angelæ, & secretum quod tenebat in hoc, frustrari. Sed cum ipsa compassione commota, & quandoque manifestâ vilitate proximi, narrasset, accessit etiam Diuina approbatio, & reuelatio quod totum id quod in eius vitâ à Fr. Arnaldo scriptâ continetur, esse verum, & secundum voluntatem Dei, & ab eo processisse, & nil esse falsum & superfluum. Et c. 7. num. 119. ipsa dixit: *Hoc non dixissem, (scilicet gratiam quandam valde raram & miram) nec scribis fecissem, sicut nec alia, nisi fuisset monita.*

Rupertus Abbas Tuitiensis, recenset visiones suas, quas diuinitus habuit, scilicet Christi Crucifixi, trium personarum Diuinarum, Spiritus sancti in specie ignis, dæmonum à quibus infestabatur, verborum consolatione plenorum, quæ percipit à Diuinis personis. Commemorat etiam reuelationem, quam habuit de vitâ suâ, adhuc per octo annos duraturâ, & quod ab vnâ è Diuinis personis quâdam Sanctorum reliquias, super altare positas sibi ostendente, sibi dici audierit: *Noli timere, adhuc eris melior, quam ista sunt.* Et quod per mirabiles Spiritus sancti illapsus, à se per visionem perceptos, donum sanctam Scripturam explicandi acceperit.

Idem refert visionem quandam, quam habuit, & duos versus per visum memoria suâ impressos, & scribit se à B. V. Maria hæc audiuisse: *Pascha cum B. Trinitate facies.* Idem narrat quandam reuelationem, sibi per visionem factam.

B. Albertus Magnus, teste Petro de Prussia in eius vitâ, manu propria scriptam reliquit visionem, quam habuit S. Pauli Apostoli se animantis ad continuandam explicationem libri S. Dionysij de Ecclesiastica Hierarchiâ.

B. Baptista Verana scripsit vitam suam, & in eâ suas visiones, dona Dei magna, raptus, reuelationes, & varias virtutes in magnâ sui commendationem redundantes: inter quas recenset c. 4. à Christo se didicisse, remissa sibi peccata, & quoad culpam, & quoad pœnam. Et c. 6. Nomen suum in Christi corde aureis litteris scriptum, esse sibi à Christo ostensum: & his similia: quæ habentur 4. parte Chronic. S. Francisci tom. 2. libr. 7. editorum à Fr. Bartholomæo Cimarello. Porro in fine capituli 21. rogat Abbatissam

visum sic: Rogo te per amorem quem geris erga Deum & Mariam: ut permittas ut hac pauca & deuotissima verba legantur vel videantur: nisi a personis deuotissimis & spiritualibus: ne res Dei: quae cum summa deuotione & attentione debent audiri, legi, & meditari, veniant in derisionem & contemptum. Quia hodie, quae per nostram malignitatem non probamus, a illi & infirma bonitate Dei non credimus: imò irridemus, quae alter probare, sentire, & gustare possit. Sed heu! non est verum; quia Deus est benignissimus, sapientissimus & clementissimus. Ex suis occultis thesauris spiritualibus vult facere partem; & dispensare, sicut & videtur, & placet, & prouidet, & quandoque cui vult, & non vult ab illo nostram petere consilium: quia ipse meus Dominus, qui est veritas amabilis, non iudicat secundum opera de foris sicut nos, sed secundum intrinsecum, & finem in affectum cordis respicit. octo suo sancto & pio, & idem est scriptum: Alia sunt iudicia Dei, alia sunt iudicia hominum. Sed nos tanquam persone à tali perfectione & virtute remota glorificemus Deum in Sanctis eius, humiliando nos corde contrito sub eius clementissimis pedibus crucifixi.

cap. 6. De B. Catharina Genouensi scribit in eius Vita à se in Latinum conuersa, Matthias Tannet Carthofianus: Deus tam fixè ac profundè purum amorem huic purgatae anima imprebit, vt dicere soleat, quòd postquam illum amare cepisset, nunquam amplius deseruit iste amor, imò magis ac magis vsque ad finem vita in intimo cordis sui creuerit: idq; propterea quòd indes claris sinceritatem & puritatem dulcis sui amoris, hunc affectum in illa operantibus, cerneret. Et infra: Nonnunquam asserbat se nil sentire intra se, nisi quòd suo amore Deo plenissima esset, nec sciret, nec cognoscere posset aliud, praterquam Deum absq; respisa, tanquam animà & corpore careret. Et supra: Dicebat, inquit, nullo se negotio cuiusq; tentationi resistere.

cap. 7. Et c. 9. ait: Amorem, quo dilectum meum amorem profecuebar, quotidie in me maiorem animaduerti. Et infra: Tam ardentem ignem intra me sine igne sustineo vt quentlibet cuperem eum intelligere posse: ac certa sum, quòd omnia, quae aflarem, igne Diuini amoris incenderem, & concremarem. Et c. 16. Oraui, vt meum liberum arbitrium sibi plenissimè vendicaret, ne possem agere quòd volo, at solummodo, quòd ipsi placet; quae omnia per eius clementiam obtinui.

Et c. 36. Dixit aliquando: Cor meum totum ardore consumi sentio. O si, quòd in eo versatur, eloqui possem! Rogantibus vt aliquid referret, respondit: Desunt verba tam ignito amori congruentia: quacunque proferrem, adeò ipsi dissimilia essent, vt eidem iniuriam facerem. Quòd vobis narrare possum, hoc est: Vnica guttula de eo, quo cor meum plenum est, in infernum delapsa, mutaret illum planè in vitam aeternam, tantuq; ibi foret amor, atque vnio, vt demones in Angelos, & tormenta in oblectamenta vertentur: cum Dei namq; amore non potest subsistere cruciatus.

Et c. 38. Cum Religiosus quidam ei dixisset: Mater, non est cur te abscondas, imò propter gloriam & honorem Dei rogo, vt personam, quae tuo animo sedeat, diligas ipsiq; gratias à Deo tibi concessas recenseas, ne post

obitum maneant occulte & incognita, ac Dominus Deus debità laude & gloria fraudetur. Tunc respondit, se non abnuere, quandoquidè suo dulci Amori (scilicet Deo) ita visum esset, nec aliam personam eligere, quam ipsam quae hoc consilij dedisset: quanquam impossibile sciret, minimam partem internarum Dei operationum referre. Porò extrinsecus Deum nihil aut parum circa se operatum. Alio tempore cum eodem Religioso conferens, narrauit illi suam conversionem, atq; complura alia, vt melius poterat, quae bonà fide collecta, huic libro sunt inserta &c.

Hos Sanctos imitatus S. P. N. Ignatius, visionem, quam habuit, Dei Patris Christo crucem bātulantem, se cum sociis commendantis, statim vbi perfecta est, narrauit sociis, teste Ribadeneira in eius Vita & Massæo. Eandem ob causam idè S. Pater, rogatus à primis Patribus sac. diu., cum plurimum renueret, tandem manifestauit tribus annis ante mortem, totum cursum vite suae P. Ludouico Conualuo, eo sine veillam scriberet, vt testatur id P. Conualuus in hac vita manuscripta, in qua multas particulares visiones S. Ignatij, ab eo sibi dictas receperet, & tandem in fine sic ait, referens verba formalia S. Patris loquentis in tertià personà, sic enim manifestabat dona & acta sua: Quando dicebat Missam, habebat visiones multoties, quòd tunc poterat affirmare facilius, quia quotidie scribebat, quòd transibat per animam suam. Et tunc ostendit mihi (inquit Conualuus) vnum fasciculum satis grandem chartarum, ex quibus mihi legit aliquam partem, & vix plurimum erant visiones, quas ipse videbat in Constitutionum confirmationem, videndo aliquibus vicibus Deum Patrem, aliis vicibus Virginem intercedentem, aliis vicibus confirmantem.

Eandem ob causam S. Pater, non contentus narratione visionum suarum, & aliorum actuum heroicorum, quos dictus P. Conualuus descripsit, ipsemet reliquit post mortem suà manu scriptas multas tales visiones, & alia extraordinaria Dei dona sibi diuinitus concessa, valde mira & rara, & paucis Sanctis concessa. Facit Mass. l. 3. mentionem huius scripti post mortem in eius scrinio inuenti Massæus, Ribadeneira in eius Vita, Orlandinus & Platus. Hoc scriptum ego mea manu descripsi, Romae anno 1597. ex originali Romano mihi accommodato à R. P. Ludouico Massello Assistente Italiae, & accuratè descriptum, tanquam ingentem thesaurum, diligenter conseruo, pro instructione & consolatione posterorum.

Idem S. Pater adeò sincerè & candidè solebat nonnullis suis confidentibus, manifestare Dei dona sibi concessa, vt P. Polancus hinc sumpta occasione, eum interrogarit, num, talia de se narrando, vanè gloriæ tentationes pateretur? Cui ille respondit, se illas à multis annis non pati, imò nullum vitium minùs metuere, & addidit: Quoniam imò scias, Polance, me ne millefimam partem Dei donorum mihi concessorum patefacere

Ribad. l. 2. c. 11. Mass. l. 2. cap. 5. pag. 79. pag. 74. cap. 1. Rib. l. 4. cap. 2. Plat. l. 1. de bon. stat. relig. cap. 25.

com. 11. 1. 11. 16. Manth. 10. 11. 4. n. Cant. cap. 25.

ob incapacitatem vestram: Et, si Sancti, quorum vitas habemus, plura dona non habuerunt, quam ea, quae de eis leguntur, cum nullo eorum mihi diuinitus concessa, commutarem. Legi totum hoc annotatum, in libro quodam Archiuij Romani, in quo primi Societatis Patres, plurima scripserant de dictis & factis S. Ignatij pro solatio, & instructione posterorum.

Cum Michaël Ochioa sanctus adolescens, in Societatem receptus, Ioanni Polanco infirmo, cui tunc seruebat, se à Deo accepisse donum curationum dixisset, & morbos aliquos diuersis in locis depulisse, Polancus, intellecto modo quem in eis depellendis adhibebat, videns candorem iuuenis gratiâ sanitatum à Deo donatum, ab eo sanari petiit, S. Ignatio prius id probante, & sanatus est, vt scribit Orlandinus in Historiâ Societatis, qui plura alia & maiora eiusdem miracula recenset pluribus in locis. Nam cum pluribus in locis febres à multis abegisset, postea aucto diuinitus munere claudos, debilesque non paucos, & ipsis etiam luminibus captos, integros videntesque à se dimisit, manu duntaxat eis impositâ, & his, aliisque modis ordinariis rem Societatis ac Diuini cultus in plurimis ciuitatibus egregiè, sciente & probante Ignatio, promouit.

Sic & B. Franciscus Borgia, sua lumina & visa caelestia, in libellum retulit, qui in Romano Secretarij Societatis Archiuijo conseruatur.

Eodem spiritu ductus, sine praëiudicio Humilitatis, scripsit de Diuinis donis secretioribus & miris, ad P. Iacobum Laynez, vnum è primis S. Ignatij socijs P. Petrus Faber, primus S. Ignatij spiritualis filius, cuius Epistolæ partem vulgavit Ribadeneyra, in Vita S. Ignatij, & Orlandinus. Nec hoc solum, sed reliquit suâ manu scriptum sat copiosum commentarium actionum, & illustrationum suarum admirabilium, ex quibus deinde quamplurima, de illo desumpserit Orlandinus, quæ habentur, & in prima parte historiarum Societatis quibusdam in locis, & in duobus libris, quos de eius vitâ separatim dedit Lugduni impressis.

S. Teresa, non tantum dum iussa fuit scribere suas visiones & reuelationes, ex vt examinarentur (quod fecit scribendo ipsamet vitam suam) sed etiam non iussa, pro aliorum instructione, vel aliquam aliam ob causam ei notam, multa talia admiranda Dei dona, & gratias gratis datas, eas non iussa scribere, postea scriptas reliquit, praesertim in libro foundationum Monasteriorum suorum, in Prologo; & c. i. in fine. Et c. 9. Cum quodam, inquit, tempore à sumpta sacra Communionem orationi insisterem, Domino reuelante didici, fore vt magnum ipsi in hac domo obsequium praestaretur. Et c. 10. Dominus per visum mihi indicauit salutem N. summo in discrimine versatum fuisse, at se eius miserum, ob praestitum Matris suae obsequium &c. atque eum non antè, igne purgatorio li-

berandum, quam prima in eodem, Deo ad altare, hostia offerretur, eadem autem oblata, inde egressurum. Postea narrat animam illam apparuisse sibi, & gratis sibi actis immensis ob beneficium operâ eius acceptum, liberationis è purgatorij pœnis, mox in superna habitacula euolasse. Et cap. 15. narrat vidisse se Dominum, Monialem morientem vlnis apertis protegere, & hanc protectionem alijs quoque promittentem omnibus, quotquot in hisce monasterijs defungerentur, vt nullas sint in mortis articulo tentationes atque impugnationes formidaturâ. Et c. 20. Ibi cum agerem, mihi Dominus inter orandum ait, Segobiam vt concederem, nouum ibidem monasterium conditura &c. Hac agitante visum mihi Dominus significat, facultatem vt ab Ferdinando exigerem, hanc enim ab eo haud dubiè concedendam. Et cap. 27. recenset quomodo Dominus eam reprehenderit, ob non admissam cuiusdam monasterij foundationem. Et infra, refert apparitionem cuiusdam personæ sanctæ sibi factam. Et iterum ibidem, aliam Dei apparitionem narrat, quâ iussit duas quasdam foundationes perficere. Et cap. 30. eandem rem repetit.

Et iterum c. 27. scribit quomodo Deus iussit eam emere certas aedes, certo quodam in loco ad impediendum peccata, quæ ibi fiebant. Et iterum scribit, se dixisse Confessario suo, Dominum sapius hac ratione eam instruere & docere solere, & hactenus multa satis argumenta & indicia me vidisse, è quibus hunc eius spiritum nosset. Et cap. 30. Vt plurimum sic hactenus contigisse video, scilicet, quoties in aliquâ fundatione aliquis mihi subeundus est labor, ipsum mihi Dominum, eî verbis, tum operibus animimum semper addere. Et ibid. addit aliam Christi apparitionem, se ad pergendum excitantis pag. 494. i. Et iterum pag. 499. Ego idem sum, duas hasce fundationes facere ne negligas. Et infra pag. 504. narrat sibi dictum à Christo, dum esset afflicta: Iam confortare Teresa. Et iterum: Dominus mihi dixit: noli frigora hac curare, ego namq; &c. pag. 497. Et iterum ibidem, dictum sibi aliâ vice à Domino ait: Quid dubitas? iam omnia confecta & absoluta sum; bene potes abire. pag. 514.

Denique eodem cap. ait Toleti sibi Deum dixisse, vt Moniales Abulenses, seu S. Iosephi, quæ antè Ordinario suberant, ex Dei voluntate huic Ordini obedientiam redderent. pag. 515.

De P. Ioanne Fernandio scribitur in annis literis Societatis nostræ Anni 1595. Prouinciæ Castellæ in collegio Pallentino defuncto, repperit esse post mortem eius commentarium, indicantem cursum illius meditationum ab anno eius sæculi octogesimo septimo ad nonagesimum, in eoque esse, B. P. N. Ignatiû bis ei se videndum præbuisse: Angelorum choros, quorum etiam adscripti cantus, tum Beatissimâ Vir-

l. 8. n. 14.  
l. 9. n. 12.  
l. 10. n.  
77.  
l. 11. n. 56.  
l. 13. n.  
43.  
l. 14. n.  
86.

Rib l. 3.  
cap. 11.  
Orl. 1. p.  
hist. l. 3. n.  
74.

Virginem cum sancto caelestium Virginum comitatu; S. quoque Mauritium, cum locis, illi se ostendisse.

S. Philippus Nerius multa sua miracula & Dei dona mira narrauit variis, vt patet in eius Vita ab Antonio Gallonio & Iacobo Baccio edita, & testimonio Cardinalis Baronij, quem in eâ citant, & alios.

l.p. 183. P. Iosephus Anchieta, notæ vitæ sanctitatis, vt de eo scribit in eius vitâ P. Sebastianus Berrettarus, de se dixit; Sapius nullas & alienas cogitationes impedimento sibi esse, ad perfectam earum rerum meditationem, quas sibi ob mentis spirituales exercitationem proponeret. Idem Gaspari Sampedro narrauit, quomodo dum nauigaret, marinus

passer circum nauim volans, brachio ab eo porrecto aduolans confidisset. Eidem commemorauit miracula, quæ à se fieri dicebantur, & quod orans à solo fulgure sit visus. Idem cum cognouisset diuinitus quendam discipulum suum Laureti mortuum ipso die S. Iohannis Euangelistæ, publicè pro eius animâ in pullâ veste, Sacrum dixit de defunctis, & postea narrauit, animam defuncti cælum esse ingressam, cum illa in Sacro verba pronuntiatet: Omnis honor & gloria.

l.p. 144. Idem visus in itinere viperâ (cui inerat veneni virus supra quàm in Europa norum sit, deterrimum) cum comites terrore percussi diffugissent, reuocauit illos Pater, iustitiam ad se venire parèt illa, eamq; apprehensam sedens sibi collocat in gremio, maniq; demulcenti occasionem cepit multa de Diuinâ potentia disputandi naturam nullam esse demonstrans, qua non hominis imperio obtemperet, nullâ re legem Diuinam violanti; tandem viperam suâ benedictione affectam placidè ab se dimisit.

Eodem modo P. Iulius Mancinellus, heroi- cis virtutibus illustris, & miraculis in vitâ, in morte, & post mortem, à Deo honoratus, aliquot libros sat copiosos, manu propriâ, & alienâ scriptos; mihi anno 1606. duodecim ante suâ mortem annis, Romæ donauit, relictis eorum penes se exemplis fideliter descriptis: in quibus libris, innumera recenset caelestia lumina, visiones, reuelationes, raptus, prædictiones, prophetias, rerum occultarum cognitiones diuinitus infusas, sui corporis à terrâ miraculosas eleuationes, infirmorumque curationes.

B. Stanislæus Kostka suo conuincio Stephano Augusto Coadiutori narrauit, quod à SS. Angelis præsentè S. Barbarâ Virgine & Martyre, sacram Eucharistiam accepit. Quod deinde Stephanus Augustus mihi Romæ sæpius dixit, idque se ex ore ipsius B. Stanislai audiuisset, in processu Recinetensi pro. Canonizatione B. Stanislai factò intratus asseruit.

B. Aloysius Gonzaga, moderno nostro Præposito Generali, tunc suo condiscipulo, dixit de se, se dum visum rationis recepisset, statim Deo obtulisse, & dicasse illius cultui, iuxta scrupulosam illam S. Thomæ sententiam; & alia quædam

valdè rara Dei dona, aliis suis amicis manifesta- uit, quæ eo adhuc viuente à Virgilio Cepario eius intimo, annotata scripto fuerant, vt post eius mortem vulgarentur.

Robertus Bellarminus Cardinalis, & priuatum Cardinali Crescentio, & publicè in concione Capuæ habitâ in templo Cathedrali dixit, se à Deo dono virginitalis ornatum esse. Quod cum vnus è Clero, cum horrore quodâ audiuisset, tanquam iactantiæ cuiusdam speciem præferentis Cardinalis, vidit repentè faciem Cardinalis solis instar splendens, & hinc cognouit Dei voluntate, id candidè à S. Cardinali pronuntiatum fuisse: quod ipse deinde iureiurando testatus est in Processu autoritate Apostolicâ factò pro Canonizatione Bellarmini.

Idem Bellarminus dixit P. Thomæ Fitzherberti, se totâ vitâ suâ, nullum deliberatum peccatum commississe. P. Mutio Generali nostro, se nunquam esse mentitum: vt omittam alia plura, quæ de se dixit aliis, vir alioqui summæ humilitatis, cuius tot sumus testes, quot cum eo familiariter viximus.

Eodem modo P. Balthasar Aluarez, & vitâ voce, varia Dei dona sibi concessa, & occultè aperuit iis, quibuscum agebat, & in libello quodam annotauit, post eius mortem inuento; interdum etiam publicè in exhortationibus insinuauit, zelo charitatis permotus, ad pusillanimes ac debiles extimulandos, & ob sanctos alios fines sicut constat S. Iob virtutes suas, & S. Apostolum multas ex suis reuelationibus, sanctè retulisse, vt fideles excitarent, & in fide confirmarent: vt scribit in Prologo eius vitæ P. Ludouicus de Ponte, ait: que eum in quadâ infirmitate dixisse alteri Patri, dictum sibi à Beatissimâ Virgine, vt esset erga S. Iosephum deuotus. Et c. 2. §. 2. p. 22. scribit, eum in quodam libello annotasse multas veritates, hoc est, illustrationes caelestes (ex quibus magna eius sanctitas apparuit) & in eodè scriptum reliquit: huiusmodi veritates, tanquam prunas fuisse caelestes in suo pectore, quæ ipsius corpore exci- tarent, cum se tepidam & igneam sentiret, & ita memoriam eorum refricabat, & cum morâ ruminabat, vt nouum ex eis fructum hauriret.

Et c. 5. vitæ. §. 1. ait ipsum fassum esse, se hanc gratiam à Deo accepisse, vt nec motus, nec sensuales inclinationes in se sentiret, ob continuatam deuotionem & recollectionem internam, quâ semper se gerebat in præsentia Diuinâ. Similia de se ab eodem etiam in publicâ exhortatione dicta, vide c. 40. eius vitæ §. 2. pag. 476.

Sic etiâ P. Ludouicus de Ponte multa caelestia lumina & visiones, quas diuinitus acceperat, suâ manu scriptas (post eius mortem inuentas) reliquit, quas Romæ in eius vitâ manuscriptâ legi.

P. Franciscus Labata in publicâ concione de se dixit, se per annos quadraginta in Societate nullam regulam eum plenâ aduertentiâ fuisse transgressum: vt ab eo audiui, qui huic concioni

Fulg. c. 34. Vit.

Sylu. l. 6. cap. 1.

§. Quomiam verò c. 26. eius vitæ.

interfuit, & id ex eius ore audiuit magnus Theologus & Doctor, fide dignissimus R. P. Ignatius Roio.

Denique maxima pars admirabilium Dei donorum Sanctis omnibus diuinitus concessorum omnibus saeculis, quae in Ecclesia Dei in eorum vitis Deas scribi voluit ad fidelium utilitatem, & sui Nominis Diuini gloriam, non aliunde sciri potuit, quam ex relatione ipsorum Dei seruatorum, qui ea habuerunt. Quomodo enim occultissimas virtutes, intimas Dei communicationes & similia, quae inter solum Deum & animam transigit Deus, resciri potuissent? Exteriora enim, quae oculis aliorum patent, multo facilius dici possunt, tum quia aliqui illa sciunt, & ut est prout plena lingua, hominum secreta non celantur, tum quia gratiae gratis datae, sunt minimum quid inter Dei dona, nec sanctum hominem faciunt.

In eap. 1. Phil. Vnde meritò S. Chrysostomus charitatis, & patientiae actum nobiliorem esse ait suscitatio- ne mortuorum. Quod ipsi serui Dei clarè agnoscent, & ideo ista non ita curant, uti exercitium solidarum virtutum.

Secundò probatur eadem propositio auctoritate SS. Patrum & Theologorum.

hom. 9. in Ezech. S. Gregorius, Iusti, inquit, atque perfecti, aliquando virtutes suas predicant, bona quae diuinitus acceperunt narant: non ut ipsi apud homines suam ostentatione proficiant, sed ut eos quibus predicant, exemplo suo ad vitam trahant. Et infra: Perfecti cum virtutes proprias loquuntur, in hoc quoque omnipotentis Dei imitatores sunt, qui laudes suas hominibus loquitur, ut ab omnibus cognoscatur. Nam cum Scriptura sancta

Prou. 37. precipiat dicens: Laudet te alienus, non os tuum, quomodo facit ipse, quod prohibet: sed si virtutes suas omnipotens Deus taceret, eum nullus agnosceret: si eum nullus amaret, nullus ad vitam rediret. Vnde & per

Psal. 118. Psalmistam de eo dicitur: Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo, ut det illi hereditatem gentium. Virtutes ergo suas annuntiat, non ut laudibus suis ipse proficiat; sed ut hi, qui hunc ex sua laude cognouerint, ad perpetuam hereditatem veniant. Iusti itaque atque perfecti, non solum cum vituperationis sua verba reprehendunt; sed etiam cum virtutes suas, quas habent, infirmis loquuntur, reprehensibiles non sunt: quia per suam vitam, quam referunt, illorum animas ad vitam quaerunt. De quibus tamen sciendum est, quia nunquam bona sua detegunt, nisi eos ut dixi, aut proximorum utilitas, aut certe nimia necessitas cogat. Vnde Paulus Apostolus, cum virtutes suas Corinthiis enumerasset, adiunxit: Factus sum in spem, vos me coegisti. Similia habet lib. 8. mor. c. 7.

Aliquando autem id faciunt serui Dei, ob propriam utilitatem. Quae de te eodem loco subdit S. Gregorius: Est verò aliquando, ut necessitate compulsi, in bonis quae de se referunt, non aliorum utilitatem, sed suam requirant. Sicut B. Iob. facta sua enumerat, dicens: Oculi sui caeco, & pes claudo, pater eram pauperum; & causam, quam nesciebam, diligen-

tissime inuestigabam: & multa alia, quae saepe egisse se commemorat. Sed quia in vulnere doloris positus, ab amicis increpantibus, ipse impie egisse, & violentus proximis, atque oppressor pauperum fuisse dicebatur, vir sanctus inter flagella Dei, & humana increpationis verba deprehensus, mentem suam grauius concuti, atque ad desperationis foueam conspexit impelli, qui iam iamq. cadere poterat, nisi ad memoriam bene acta reuocasset, ut ad spem animum reduceret, ne oppressus verbis & vulneribus in desperationem periret. Quod ergo bona sua enumerat, non immorescere aliis, quasi ex laude, sed ad spem animum reformat.

Et alibi plura alia bona à S. Iob. de se enumerata recenset, eo sine ab eo narrata, ut inter veterum rationem trahere poterant, ad spem animum reformat.

Vidit, inquit, vir sanctus, mentem suam auditio tot malis ad desperationem concuti, & mirabiliter studuit, in spe certà, ex bonis suis actibus solidari. Sic impletur, quod scriptum est: In die malorum me in memoris bonorum.

Idem aliquando, inquit, sancti viri, & coram hominibus compelluntur bona facere, aut eadem hominibus sua facta narrare: sed ad eum finem omnia referentes, ut non ipsi eosdem operibus, sed Pater eorum, qui in caeli est, debeat glorificari. Dum enim sancta predicant, ipsa predicatio eorum forte despiciunt, quorum vita nescitur. Compelluntur ergo vitam suam dicere, ut auditorum suorum valeant vitam mutare.

Idem explanans responsum Samuelis Prophetæ datum Saüli 1. Reg. 9. 18. 19. quærenti ubi esset domus Videntis, & respondit Samuel Saüli dicens: Ego sum videns: Viri sancti, inquit, virtutes quas habent, & abscondunt & proferunt: abscondunt: ne magni videantur: proferunt, ut electi imitentur. Verbo stem Sapientia, aut Prophetia spiritus, se pollere afferunt, non ut venerentur, sed ut audiantur.

Idem alibi: Qui necessitate cogente, vera de se bona loquitur, tanto magis humilitati iungitur, quanto & veritati sociatur. An Paulus humilis non fuit, quando emulatione veritatis, contra falsos Apostolos, tot de se Discipulis fortia gesta narrauit? Qui nimirum veritati inimicus existeret, si abscondendo virtutes proprias, predicatores errorum preualere permisisset.

S. Cyprianus, cum Donato, ad quem scriberet, enumerasset Dei beneficia, quae post susceptum baptismum à Domino acceperat, subdit: Scis ipse profectò, & mecum pariter recognoscis, quid detraxeris nobis, quid tunc consuleris, mors ista criminum, vita virtutum. Scis ipse, nec prae dico; in propriis laudes odiosa iactatio est, quamuis non iactatum esse possit, sed gratum; quidquid non virtute nominis adscribitur, sed de Dei munere predicatur.

S. Chrysostomus: Vbi que inquirenda est causa, non quae ad utilitatem auditorum spectat, etiam si commendet se ipsum; non solum non meretur reprehendi, sed etiam coronari, & propter silentium taxandus. Idem ponderans illa verba Apostoli ex 2. Cor.

to. 3. h. 5. de laud. Pauli.

2. Cor. 12. Venio ad visiones & reuelationes Dei parco autem ne quis de me existimet, super id quod videt; Hoc inquit, dicendo nos erudit, vt ne existente quidem necessitate omnia, quorum nobis conscij sumus, in medium proferendo vulgemus, sed ea solùm, quæ audientibus vilita videamus &c. Et enim alius de se affirmare sermonem, gloriosi est, & insolenter se iactantis dicere autem illa, quæ presentis causa tantummodo necessaria sunt futura, amantis est, multorumq; commoda cogitantis. Et magis Paulus merebatur loquendo de se, quam tacendo laudari. Qui nisi fecisset istud, culpabilior esset illis qui se ipsos importunè laudare diciturunt; & nisi etiam gloriatu fuisset, creditos sibi perdidisset, omnesq; rei inimicos, dum se humilitat, exculsisset, &c. Amplius nunc Paulus placuit gloriano, quam alter laudes proprias occultando: nec tantum quique profuit, cum sua merita celaret, quantum ille cum proderet. Et infra: Fecit hoc Paulus, cum à pseudo-apostolis carperetur, quasi non esset probatus Apostolus, nec homines à Christo aliquam potestatem, propter obreccationes falsas, in laudes suas ire compulsi sunt, qui maxime dignitatem eius ostenderent. Similia habet Rom. 22. in 2. Cor.

in illud, Vtinam sustineretis modicum quid.

l. 3. epist. 178.

Idem S. Chrysostomus ante partem morale, vbi multa SS. exempla confitatur, & quæ recenset homilia singulari in illud eiusdem epistolæ, Vtinam sustineretis &c. qui est sermo 25. Tomi 5. Et Tomo 1. de periculis spectaculorum: Tunc sas est propria commemorare beneficia, cum insignis hinc speratur vilitas. Idem alio in loco: Quæ admodum suas recitare virtutes, extrema videtur demerere: si nulla superest necessitas; ita necessitate violentè incumbente propellentes, proditio est ea tacere, quæ quis studiosè perfecit.

S. Iudorus Pelusiota, rationem reddens Hieraci, cur Phariseus ob verborum arrogantiam, apud Deum offenderit, Job verò, qui plura & sublimiora de se protulit, gloriam assecutus sit, concludit in hunc modum: Frigidum atque insulsum vt est, ita etiam videtur laudes suas predicare, cum nulla vrget necessitas. At si quis, quæ minime conuenit audiens, in huiusmodi sermones inuisit, incidat, in eos qui hanc necessitatem attulerunt, culpa quoque conferrì debet. Ac propterea Diuina Sapiencia, eum qui nullis contumeliis incutatus, iustum sese pronunciat alioq; condemnarat, ac ne presentem quoque Publicanum veritus fuerat, repudiatur: eum verò, quem necessitas ad hoc impulerat (quid enim quod ad simulandum ipsius animum facere possit amici pratermiserant?) amplissimis laudibus coronauit.

S. Basilii in regulis breu. cum interrog. 247. proposuisset: Cum in scriptura legatur: Nolite gloriari, neque loqui sublimia, & Apostolus de se ipso loquens (scilicet manifestans sua dona dicit) non secundum Dominum loquor, sed quasi in insipientia: aliàs verò hominem gloriari permittat, eam dicit, qui gloriatur in Domino gloriatur; quæ est gloriatio in Domino, & quæ est illa verita gloriatio? Respondet, veritam gloriationem esse: cum quis gloriatur de malo, vel cum in eo ea, quæ facit, laudare se vult scilicet vanè,

alioqui in Domino gloriari eum, qui rectè facta sua sibi non adscribit, sed Domino ac dicit: Omnia possum in eo, qui me confortat Christus.

Idem ibidem ad interrogationem 221. in qua querebatur, quomodo veritum sit, ne videatur ab hominibus ieiunantes, cum sancti viri contrarium fecisse reperiantur? Respondet: eam veterari manifestationem bonorum operum, quæ sit ex vitio humana gloriæ eam ob causam vt spectentur ab hominibus. At si ad gloriam Dei fiat, nequaquam apud Dei cultores abscondi debere, ipse Dominus declarante, qui dicit: Non potest ciuitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio &c.

Et in moralibus, nimis amplè id videtur, tanquam omnino necessarium imperare: Qui Dei beneficio rectè aliquid fecerit, is ceteris id quoque notum facere debet, vt Dei gloria celebrior efficiatur. Idque his Scripturæ locis confirmat: Et reuerfi Apostoli narrauerunt illi, quæ fecerunt. Cum autem venissent, & congregassent Ecclesiam, renuntiauerunt quantafecisset Deus cum illis. Vt sciatis quid agam, omnia vobis faciet Tycheus charissimus frater, & fidelis minister in Domino, quem misi ad vos in hoc ipsum, vt cognoscatis quæ circa me sunt.

S. Augustinus ponderans illud Matthæi 6. Cauete facere iustitiam vestram coram hominibus vt videamini ab eis, Numquid, inquit, voluit hoc dicere, vt quæcunque bona facimus, abscondamus ab oculis hominum, & timeamus videri? Si times spectatores, non habebis imitatores. Debes ergo videri, sed non ad hoc debes facere, vt videaris. Noli ad laudem tuam operari bonum, quod agis, sed ad laudem illius, à quo habes, vt bonum agas. Et cum proposuisset quæstionem, quomodo lucere debemus coram hominibus Christo iubente, vt videantur opera bona nostra, & attendere, ne iustitiam nostram faciamus coram hominibus, vt videamur ab iis? Respondet fuse, iuxta sensum, quem intendimus, & tandem ait: Homo, cum beneficiens videtur ab hominibus, intentionem boni facti habeat in conscientia sua, intentionem verò innotescendi, non habeat nisi in laudibus Dei, propter eorum, quibus innotescit vilitatem, quibus hoc prodest, vt Deus placeat, qui hoc prestavit homini. Et infra: Quisquis ergo ita vult videri ab hominibus opera sua, vt ille glorificetur, à quo ea, quæ in illo videntur, accipit, & sic ad imitandum bonum idem ipsi qui viderunt pietate fidei prouocentur, verò lumen eius lucet coram hominibus, quia lux de illo charitatis radiatur, non superbia sumus euomitur: & in eo ipso cauet ne iustitiam suam faciat coram hominibus vt videatur, ab eis, quia nec suam deputat illam iustitiam; nec ideo facit, vt ipse videatur, sed vt ille intelligatur, quæ laudatur in homine iustificato.

S. Anselmus explicans illa verba Apostoli, Ministri Christi sunt, vt minus sapiens dico, plus ego: Sciendum est, inquit, quia nisi atque perfecti aliquando virtutes suas predicant, & bona quæ diuinitus acceperunt, narrant, non vt ipsi apud homines

reg. 70. Luc. 7. Act. 14. Eph. 6.

tract. 8. in ep. 1. Ioan.

serm. 3. de Verb. Do.

in 2. Cor. 11.



suâ ostentatione proficiant, sed vt eos, quibus predicant, exemplo suo ad vitam trahat. Et infra, cum reuelationes Apostoli explicaret, ab eo commemoratas, sic ait: Tempus, quo raptus est, idem, inquit, annotauit, vt intelligeretur, multò maioris meriti esse dum ista scriberet, quam fuerat, dum ea vidisset: & quia non taciturnitas sed necessitate diceret, quæ per tot annos tacerat. Et alibi: Quisquis, inquit, qui bona facit aut loquitur, idcirco placere capit hominibus, vt eos ad imitationem bonæ conuersationis trahat, vel ad Dei laudem corda eorum accendat, non hominibus querit placere, sed Deo. Hoc etenim modo Paulus placebat hominibus, qui se alibi per omnia omnibus placere testatur.

in c. 1.  
Gal.

in c. 18.  
Matth.

Theophylactus: Sed mirabitur, inquit, aliquis, quomodo Pharisæus, cum pauca verba sua laudis protulerit, condemnatur; Iob verò cum plurima fuderit, coronatur: Ed scilicet, quod Pharisæus talia dicebat, nulla ratione cogente; Iob verò vrgentibus eum amicis, & pressuris prementibus coactus est, proprias virtutes referre, ad Dei gloriam, ne homines desisterent à profectu virtutis.

serm. 2 de  
cœn. Do.

S. Bernardus: Qui necessitate cogente, vera de se bona loquitur, tantò magis veriùs humilitati iungitur, quantò & veritati sociatur.

de inst. &  
regim.  
Prælato-  
rum c. 11.  
col. 4.  
2. Cor. 12.

B. Laurentius Iustinianus, Nequaquam, inquit, dubitandum est, plura occulta mysteria; quaedamq; secreta cœlestia sanctis viris propalari per spiritum, quæ profectò illis manifestari non licet (hoc est, quædam reuelantur, non manifestanda) (sicut Apostolus de se, inquit, audisse verba, quæ non licebat homini loqui.

Esaï. 24.

Propheta quoque cum multa vaticinando dixisset, nonnulla in semetipso silentio regens, ait: Secretum meum mihi quoniam, vel ad instructionem solummodo ipsorum, vel in signum testimoniumq; singularis ignis innotescunt dilectionis. Verùm illa quæ adficere possunt audientes, seu Dei gloriam in hominibus accrescere, quamuis reuelentur introrsus, sunt (vt arbitror) cum humilitate & deuotione dicenda; interueniente rationabili causa, seruatq; congruo modo & tempore, ne fortè transfigurante se Satanà in Angelum lucis, inter triticum seminante zizania, suscepta gratia fructus diripiatur ab homine.

Oecumenius: Non est insipientis, gratiam à Deo sibi traditam promulgare instante necessitate, ob salutem & utilitatem animarum: quin potius vehementer sapientis est, ac animi humani ac benigni, despiciere suspicionem arrogantis, propter hominum salutem.

2. 2. q.  
132. a. 1.

S. Thomas cum probasset, posse appeti gloriam sine vitio, ait in responsione ad primum argumentum, esse laudabile eam appetere. Et in responsione ad tertium argumentum, tres huius rei fines ponit, qui locum habent, etiam in manifestatione Diuinorum donorum nobis concessorum: Vt, inquit, aliquis ab aliis cognoscatur, potest appeti, quantum est vitale ad aliquid: vel ad hoc, quod Deus ab hominibus glorificetur: vel ad hoc, quod homines proficiant ex bono, quod in alio cognoscunt: vel ex hoc quod ipse homo ex bonis, quæ in se cognoscit, per testimonium laudis alienæ, studeat in eis

perseuerare, & ad meliora proficere: & secundum hoc, laudabile est, quod curam habeat aliquis de bono nomine, & quod prouideat bona coram Deo & hominibus, non tanquam in hominum laude, inaniter delectetur. Si ergo id licet, iudicio S. Thomæ, multò magis licebit, sine appetitu gloriæ vllò, ob aliquem ex tribus finibus supradictis, & ob quartum (defensionis sui; & ob quintum, ad abigendam pusillanimitatem & desperationem ab aliis Sanctis assignatos) dona Diuina cum summâ internâ humilitate, & externâ modestiâ, aliis manifestare.

Idem S. Thomas alibi asserit expressè, non esse in quest. peccatum, quod aliquis velit bona opera sua ab aliis approbari, dicitur enim: *Luceat lux vestra coram hominibus: & idem appetitum gloriæ, de se non nominare aliquid vitiosum, si non sit inanis & vana. Vana autem est, si gloria queratur de re, quæ non est; vel quæ non est digna gloriâ: & si gloria non referatur ad honorem Dei, vel proximi salutem.*

Et in responsione ad primum. *Laudabiliter potest homo ad aliorum utilitatem gloriam appetere, secundum illud. Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Multò ergo magis laudabilis est, si quis non appetendo gloriam propriam (quod nulli suadeo) sed solum Dei gloriam & proximi utilitatem, Dei dona sibi concessa manifestet, cum debitâ moderatione & humilitate: quia id minus est, quam manifestatione eorum, gloriam propriam intendere, etsi relatum ad Deum, quod periculosum est: & quantum in aliquâ particulari personâ, nullum id periculum pariat, tamen ob maius meritum humilitatis, omnino à tali desiderio gloriæ, etsi non vano, abstinendum puto omnibus.

Abulensis, ponderans an Ezechias peccarit vtendo illis verbis significantibus laudem: *Memento, quomodo ambulauerim coram te in corde perfecto &c.* Respondet, non peccasse, sed meruisse; Quia, inquit, ea quæ ad bonum finem sunt, si ipsa absolute mala non sunt, meritoria sunt: & tamen quod aliquis dicat bona quæ fecit, non est absolute malum, sed ex intentione dicitur.

Idem q. 22. in cap. 17. libr. primi Reg. ait, Dauidem non peccasse laudando se de robore suo, supernaturaliter accepto, vti nec Paulum, cum raptus suos narrauit, quia vitale fuit illa manifestari.

Idem sentit S. Antoninus 2. p. tit. 4. cap. 1. §. 4.

B. Laurentius Iustinianus, cognitionem Dei 1. a. de sp. donorum, singulari Dei gratiæ adscribit, tantumquam valde vitalem. *Singularis est, inquit, ista vocatio, quæ in beneficiorum cœlestium agitur speculo, per quam rationalis spiritus à suo repore surgere, ac Deum suum toto affectu diligere cogitur, tot facibus spiritualibus irradiatur, accensus tot amoris casti stimulis agitur, quot sunt dona, quæ à Domino sibi noscitur esse impensa magna profectò insinuate huius veritatis est vitæ, & prepotens istius lucis est virtus, quæ repentinò suo splen-*

splendore, mentis dissoluit torporem; interioris propul-  
sat tenebras gratiam simul confert & vitam. Nutrit  
equidem meditantis exhibitæ à Deo beneficia, eò fa-  
uilius, quò frequentius animo reuoluuntur, & in memo-  
ria armario reconduntur. Manu quoque quadam  
spirituali, iacentem erigunt & gratitudinis funiculis  
ad Deum trahunt, à quo eadem se percepisse cognoscunt.  
Nequaquam ut arbitror, in peccati morte diu tacere  
ualet exanimis, cuiuscunque ex infuso lumine dona-  
tum est, tractare beneficiorum numerositatem secum,  
& corde gustare.

Rupertus Abbas, explicans verba illa Chri-  
sti. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod  
in aure auditis, predicare super tecta; Quid, inquit, di-  
cit ipse in tenebris, & quid in aure loquitur verbum  
Dei. Deus ipse Iesus Christus, nisi reuelationis Dei, quas  
in occulto, quasi in tenebris, ubi homines non vident,  
quando vult, & prout vult, per Spiritum sanctum im-  
mittit; Et hoc, bonum quidem per humilitatem abscon-  
dere, & occultum tenere, videlicet quando & quomodo  
gratiam quæ illustratus est, quis acceperit: optimum  
autem, reuelare pro gloria & honore Dei, dum vili-  
tatis causa exposcit, aut iusta necessitas exigat. Nam  
exempli gratià nullatenus quisquam, tam vtiliter se-  
cretum Dei donum qualiter acceperit, silentio premis-  
quam vtiliter Paulus vas electionis predicauit, scribens  
Corinthiis, inter cetera de se ipso, quòd vsque ad  
tertium celum, siue in Paradisum raptus, audisset ar-  
cana verba, que non licet homini loqui. Nonne talia  
scribens, dixit in lumine quòd sibi datum fuit in tene-  
bris & quod in aure audiuit, super tecta predicauit?  
Imitantur autem illum, quicumque predicant gratiam  
sibi datam, exigente causa iusta necessitatis, procul ab-  
sente vento misera vanitatis.

Richardus de S. Victore, Sanè, inquit, periculo  
imminente & tentatione superueniente, cum presen-  
simum tuum desperatione tangi, & ad dissidentia  
locum detici, debes ad virtutum præteritarum me-  
moriâ oculos flectere, & ex earum recordatione,  
spei tue fiduciam reformare. Idque probat exem-  
plo S. Iob.

Sic, inquit, Iob rebus nudatus, filiis viduatus, vlcere  
percutus, cum se in loco iustorum deprehensum cer-  
neret, & desperationis malo pulsari presensiret, ve dis-  
sidentia malum temperaret, ad bonorum lapidum a-  
ceruum recurrit, & ex bonorum recordatione, castra  
sua vndique munit, & desperationis insultus, fortiter  
repellit, cum dixit: Oculi sui caeco &c. Sic & Eze-  
chias, sub necessitatis articulo ad huiusmodi lapidum  
munimina recurrerat, cum de vitâ dissideret, & ex bo-  
norum actuum suorum representatione, Domini mis-  
ericordiam prouocabat, precumq; suarum obtentu, dis-  
sidentia pericula propulsabat. Memento inquit, Domine,  
quomodo ambulauerim coram te in veritate, & corde  
perfecto, &c. Debemus itaque & nos promptum &  
familiare habere sub omni tempore tentationis, antè a-  
ctorum bonorum presentem memoriâ tenere; & cum  
hanc consuetudinem in continuum vsum direxerimus,  
quasi lapides bonos, & iuxta diuinum documentum  
electos, in loco castrorum collocabimus.

Alvarez de Paz, Sciendum est, inquit, quòd huic  
desipientia sui ipsius non contradicit, si homo propter  
gloriam Dei, & vilitatem proximorum, se ipsum lau-  
det, & ob rectè facta magnificet: Et in fine cap. Dum  
aut Dei gloria exigit, aut vilitas proximorum requi-  
rit, te laudans, non aduersaris humilitati, nec desipienti-  
æ tui ipsius, dummodò non tuam, sed Dei laudem  
quæras, & in ipso modo laudationis modestè te geras, &  
magis te ipsum vituperare quàm laudare concupiscas.  
Quæ tamen verba huius magni viri, non ita  
erudè accipiendâ puto, vt nostri laudationem  
nobis suadeat, sed potiùs simplicem narratio-  
nem rerum, ex quibus laus, à nobis tamen non  
desiderata, nec quæsitâ, resultare possit, contra  
nostram voluntatem, quæ vt potest proximi  
vilitatem optare, ex rerum à nobis præclare  
gestarum commemoratione orituram, ita eam  
expetere non debet, sed omnino auerfari om-  
nem, & sui per se & ab aliis, nostri laudationem,  
& honorem, ex cognitione bonorum operum,  
vel Dei donotum in nobis, à nobis manifesta-  
torum. Sed hoc solum fructu contentus sit, vt  
alter inueter notabilius, quàm iuuaretur sine  
hac donorum Dei humilibus manifestatione.

Ludouicus de Ponte, ex duplici causa, ait, licet  
tum esse, dona Dei secreta manifestare aliis. Altera, vili-  
tatis eorum, quibus hac propalantur, vt inde ad maio-  
rem Dei gloriam in virtutibus proficiant, vel docent,  
quæ eos oportet scire, maiorem fidem adhibeant: idque  
confirmat dictis S. Gregorij supra citatis. Altera  
est vrgens necessitas ipsius narrantis, cum ab ad-  
uersariis affligitur & in desperationem pertrahitur,  
&c.

Et alio in loco: Non est contra humilitatem, vt  
ait S. Gregorius h. 9. in Ezech. referre suas virtutes &  
opera ac beneficia, quæ Deus in eum contulit, quando id  
erit necessarium ad bonam sui ipsius & officij sui opi-  
nionem, suaq; doctrine auctoritatem comparandam,  
quemadmodum ipse Apostolus fecit in suis Epistolis ad  
Corinthios & Galatas, & ipsemet Deus magnalia sua  
recesit, quæ alijs sciri non potuissent. Attendit au-  
tem in hoc ad bonum, quòd homines ex eorum notitiâ  
hauriunt.

Franciscus Arias, cum probasset multis, non  
esse contra humilitatem, cognoscere in se Dei  
dona, etiam maiora, quàm sint in aliis, tandem  
toto cap. 10. ex professo, & copiosè ostendit  
exemplis Christi & Sanctorum, expedire inter-  
dum, manifestare Dei dona, propter proximo-  
rum vilitatem.

Et, vt idem ait alibi, Sancti ab ordinatione Diui-  
nâ permoti, toti Ecclesie (non tantum vni vel alteri)  
manifestarunt ineffabiles gustus, & delicias celestes,  
quibus à Deo resecti fuerunt: & ea scriptis commenda-  
runt: vt fecere S. Hieronymus, Augustinus, Gregorius,  
Ioannes Climacus Bernardus, & alij: qui in libris à se  
scriptis, ea, quæ Deus, hac in parte in animabus eorum  
operatus est, posteritati reliquerunt.

Et P. Franciscus Ribera, Neque nouum, inquit,  
neque insolens est, suas ab ipsismet Sanctis aut narrari

tom. 2. de  
Extrem.  
mali. 4.  
par. 3. c. 4.

tom. 1. in  
Cant. 1. 2.  
exhortat.  
19. 5. j.

tom. 4. de  
perf. 6.  
c. 11. fin.

4. patt. de  
imi. Chri.  
tr. 8. c. 2.  
tr. de ro-  
far. 5. 4.  
de condit.  
seruand.  
in rofar.  
Hier. ad  
Eustoch.  
de Virg.  
Aug. in  
soliloq.  
Gregor.  
init. dial.  
Cl. gr. 13.  
Bern.  
l. 7. 4. in  
Cant.  
Rib. Lib.  
1. vit. 3.

Ant. Teref. c. 2.

in e. 10.  
Math.

c. 11. 3.  
de extem.  
mali, &  
promot.  
bon.

aut conscribi reuelationes, Deo sic ad nominis sui gloriam disponente: has enim ipsi si tacerent, & que earum noscendarum esset ratio?

Alphonlus Rodriguez hoc ipsum fusè demonstrat 2. parte Exerc. perfectio. tractat. 3. cap. 29.

Vincentius Iustinianus Antist. Ordin. Prædicatorum in Vita B. Ludouici Bertrandi, Romæ primum impressa, deinde Neapoli per Fr. Ludouicum Metalonium recusa, anno 1613. in prologo ad christianum lectorem, sic ait: Non est, quod aliquis miretur hunc Benedictum Bertrandum manifestasse alii id quod habebat à Deo: id enim nouum non est, nec reprehensione dignum. Si legemus vitas multorum Sanctorum, scriptas ab excellentibus authoribus, & postea collectas à Lipomano Episcopo Veronensi, & Surio Monacho Carthusiano, inueniemus, quasi omnes Sanctos hoc ipsum fecisse: imò reperiemus eorum aliquos, per seipos scripsisse, vel dictasse reuelationes calitus acceptas. Id fecit S. Cyrillus, cum aliis antiquis, & inter nostros SS. Patres idem fecere Robertus Auinionensis, cuius opera in lucem edidit Iacobus Faber Stapulensis; & Henricus Suso, cuius reuelationes & vitam miraculosam impressit Surius in peculiari libro. Et quod mirabile est, aliqua sancta femina fecerunt id ipsum: S. Radegunda vulgavit suas reuelationes iussu Eugenij tertij, Reuelationibus S. Cunegundis, & S. Gertrudis plenus est mundus. S. Brigitta Sueca, octo libros reliquit mirabilium reuelationum, que ex præscripto Concilij Basiliensis (antequam ab Eugenio quarto dissolueretur) fuerunt approbata in contradictorio Iudicio à R. Turrecremata, tunc Magistro sacri Palatii, postea Cardinale. Et inter nostras Sanctas inueniemus S. Catharinam Senensem scripsisse libros aliquot de Diuina providentia, quibus inserit reuelationes valde notabiles, quas habuit à Christo, à Beatissima Virgine, à S. Francisco, à S. Dominico, & ab aliis Sanctis. Eodem modo fecit B. Olympha Mantuana. Itaque si iste Dei seruus, detexit alicui suo deuoto reuelationes suas, non fecit rem nouam, & in Ecclesia Dei inuitatam, nec ego prætendo quidquam noui, describendo eas in hac historia. Ex quo sanè apparet omnes suas visiones & reuelationes narrare aliis solitum B. Bertrandum, vel tunc quando contingebant, si aliquis præsens aderat, vel paulo post, & talibus narrationibus eius, tota illa historia respecta est.

P. Gabriel Aluarez explicans illa verba S. Regis Ezechiae, *Obscuro, Domine, memento, queso, quomodo ambulauerim coram te in veritate & in corde perfecto*; Ex quo, inquit, edocemur, non esse generaliter interdicitum, bona opera apud Deum recensere, sed posse nos, modeste tamen & humiliter, coram Deo, in illius cultum & obsequium, præstita eodem Deo auctore & adiutore, commemorare, ad inclinandum & propitiandum nomen &c. Idque confirmat exemplis Job, qui caput 29. haud perinde breue, in suarum actionum encomio conluit; Sara uxoris Tob. 3. Tobiae, quæ apud Deum se commendauit; & exemplo Estheris, quæ Deum oratura laudis sue

præconium præmittit. Ad eandem ferè normam David sapiens in Psalmis, præsertim Psal. 100. & psal. 17. Et Ieremias dum Deum precatur, suarum virtutum meminit. Hæc Aluarez.

Theophylus Raimaudus citans Plutarchum, Dionem, Chrysofomum, Epictetum, hoc ipsum confirmat.

Ego sanè existimo Dei peculiari consilio & instinctu, Dei seruos, in humilitate & contemptus sui amore fundatos, & cognitione vilitatis suæ clarè imbutos, ac proinde à vanæ gloriae & iactantiae spiritu alienissimos, interno Diuino impulsu excitari ad manifestanda arcanæ & singularia Dei dona sibi concessa. Videt enim a-matrix animarum Diuina Sapientia, multum inde & Diuina gloriae & auxilij animarum accedere, idèd facit, vt sæpè nil minus quàm talia cogitantibus, Dei seruis, dicantur ab eis ea, quæ ipsi studio deprensendi se arctè occultabant, & nulli nota esse cupiebant. Sed is, in cuius manibus sunt nostra corda, ob fines sibi notos, & nobis etiam aliqua ex parte manifestos, ea propalari vult, per seruos suos: quæ propalata esse ab omnibus ferè exitiis Sanctis, legimus in eorum gestis, in beneficium Ecclesiae annotatis, Dei ergo opera sunt hæc, non hominum inuenta. Idèd, vt omittam alios exitiæ sanctitatis, B. Virgo Maria Magdalena de Pazzis, in Beatorum numerum relata ab Urbano Octauo, vultus est eius Confessarius Vincencius Pucci-us, in eius quam edidit vitæ, amicè cum Domino de Domino conquirebatur, quòd ea, quæ illi in raptibus eius manifestabat, cogeret illam ore pronuntiare, suas visiones, raptus, extases, vt omnia ad Monialium notitiam deuenirent, ab illis quod quotidie factum est, conscribi, & ad hunc diem Florentiæ in Monasterio, in quo sanctè obiit, conscriuari in aliquotomis, postea reculis & approbatis à magnis viris, tum læcularibus Prælatibus valde spiritualibus & doctis, tum à nostræ Societatis Patribus, tum aliis, minus notis, tum P. Bernardino Rosignolo tunc Prouinciali Romanæ Prouinciæ, tum P. Virgilio Cepario Confessario huius Sanctæ Virginis, à quibus libri varij in lucem pridem editi, indicant, eorum iudiciis in rebus huiusmodi quemuis posse & debere acquiescere. Sic, inquam, in quodam raptu, Anno 1586. 11. Augusti, qui per quatuor dies durauit, locuta est cum Deo, 20. annis ante suam mortem: *ô amorosum verbum, dic mihi, rogo te, quare in me contulisti tot res intra te solum & me, & nunc vis, vt ego eas manifestem: ah facit hoc, quia bene vides quàm difficulter me finerem cõduci, ad manifestandas res tales, & quia cognoscis meum debile signum: præterea, quia facilius credunt tibi quando in me loqueris: item ad manifestandum bonum illorum. Posset facere per aliam viam, sed ista tibi placet.*

Simili modo etiam alij serui Dei fecerunt, Diuino impulsu ad similia excitati, & clarè Diuinam

tinam in hoc voluntatem agnoscentes: et si alioqui quantum in ipsis est, voluerint omnia talia esse occultissima. Vt plurimum enim talia de se narrant, quasi diuinitus coacti, Deo ad id ob fines sibi notos eos impellente. Hac ratione P. Sebastianus Beretarius in Vita P. Iosephi Anchoræ, innumeris miraculis & prophetici spiritus argumentis plena, cum diceret, cur vit iste sanctus, facile proderet sua arcana miraculosa? inter alias causas hanc quoque adfert: Ex eodem fonte, vnde tanta ad eum donorum copia manabat, prodibant cuncta perpetua illa de Deo cogitatio, quam remittebat nunquam, perpetua, cum Deo coniunctio, tanto Diuina lucis fructu occupabat animum, vt in Diuinum lumen absorptus, nostra hæc non humanâ ratione modo cogitaret. Vnde tanto animi candore, tamq. sincerâ simplicitate, que in diuino lumine intuebatur, ad Diuinam illustrandam gratiam, probebat foras.

Hoc spiritu Diuino adacta S. Gertrudis, suas visiones & reuelationes narrauit cuidam Moniali, ab eâ aliis manifestandas, vt dicitur in proæmio libri B. eius vitæ à Ioanne Lanspergio Cathusiano scriptæ. Imò ipsamet iussa est scribere, & scripsit suas reuelationes & visiones, vt aliis quoque per totum mundum vulgarentur, vt habetur in prologo libr. 1. vitæ eius & libr. 1. c. 16. & in argum. 2. lib. 2. c. 10. Er postquam abfoluta fuit scriptio reuelationum Gertrudis, Christus librum eas scriptas continentem, petitori suo admouit, tanquam sibi charissimum, & suæ Diuinitatis dulcedine, singulas eius litteras penetrantem, sicut mulsum penetrat medullam panis albi, qui eo perfusus est, vt dicitur lib. 5. vitæ: vbi multa mira in commendationem eius libri, dicta à Christo referuntur, vt & c. 36. Quem librum, valde placuisse Cardinali Bellarmino nuper P. Bernardus de Ponte anno 1630. in Ianuario Romæ mihi dixit, se audiuisset ab ipsomet Cardinali Bellarmino. Sic & B. Catharina Bononiensis Deo inspirante scribit, se scripsisse anno 1438. varias cælestes apparitiones & alia Dei dona, quæ in libello Italico, prout ab eâ scripta erant, impressa circumferuntur.

Adtingam his omnibus Plutarchi & Macrobij sententiam, approbatam à P. Iulio Nigronio, magno vitæ spiritualis Magistro: Religiosus si adest, da illi referendi copiam, quibus obseruationibus meruerit auxilia Deorum, quantus illi carum fructus; quia & hoc, religionis genus existimant, Numinum beneficia non tacere. Sed hac in re, ne amor proprius ad vanam propendens & inclinans gloriam, decipiat, diligenter examinanda est propria conscientia, iuxta monitum à S. Gregorio P. datum: Subtilis, inquit, inquisitione necesse est, vt semetipsum animum inuestiget, ne fortasse sue laudis gloriam querat, & animarum lucra se quærens, nostra cogitatio simulet. Sapè enim sui nominis laude animus pascitur, & quasi sub obtentu lucrorum spiritualium, eam de se bona dici cognouerit, latatur.

Accedamus nunc ad soluenda argumenta, initio huius capituli posita, quæ videntur expugnare doctrinam hoc capite propositam.

Ad primum Resp. Verum est, humilitatem impellere ad occultanda Dei dona, & humiles nolite agnosci bona quæ operantur: sed quia humilitas, vt omnes aliæ virtutes, subsunt charitati, quæ, vt ait S. Leo & S. Gregorius, & vt Deus Pater docuit S. Catharinam Senensem, est mater omnium virtutum, idè humiles, dum cogit charitas, coguntur suas virtutes detegere. Hanc enim ob causam omnes Sancti supra citati, qui erant humillimi, & quantum in eis erat, ex parte suâ optabant nesciri, cogente tamen charitate, quasi inuiti & coacti, euulgarunt admiranda Dei dona, sine præiudicio humilitatis: Sic & S. Franciscus, etiam despicere summopere cuperet ab omnibus, & ad id adhiberet media aptissima, suos vulgando defectus, & alios ad hoc ipsum contra se excitando, teste S. Bonaventura in eius vitâ, tamen cum honoraretur à populis ob miracula, quæ faciebat, & eius socijs scandalizaretur, videns eum permittente, & non repudiare illos honores, respondit, se quidem illos non expetere, & contra riam optare, tamen quia per eos, non ipse, sed Deus honoraretur, ob dona Dei sibi concessa, se Dei honorandi studio, illum hominum cultum pluri permittente. Cedere enim quandoque debet inferior virtus superiori. Idè cum S. Teresa (vt ipsamet de se in vitâ suâ scripsit) ex affectu paupertatis abieisset quandam piam imaginem, cuius aspectu se moueri valde ad Dei amorem sentiebat, Christus Dominus ei apparens, reprehendit eam, quod eum sciret nobiliorem esse virtutem Dei amorem, quam paupertatem, ob huius desiderium, amouisset à se stimulum, quo ad Deum amandum excitabatur.

Ad secundum. Humilis optat quidem malum aliorum de se opinionem, quantum est ex parte eius; sed si Dei causa exigat, vt in bonâ opinione sit, illam non refugit, sed nec eâ delectatur quoad se, verum, vt dicebat P. Ludouicus de Pôte, est tanquam idolum, quod ab Ethnicis dum adoratur, nullam ex hoc complacentiam habet. Immo humiles duo lucrantur, dum ob Dei dona, ex Dei amore, necessariò propalata honorantur: Primò, sensibilem molestiam & tristitiam sentiunt, ob delatos sibi honores, & auctam bonam opinionem, contenti solo illo spiritali auxilio; ob quod sancti Patres & Theologi docent, dona Dei propalari posse. Secundo, sapè ob hanc Dei donorum manifestationem, patiuntur graues censuras & criminationes, habentur pro vanis, pro superbis, pro exiguo iudicio & morum maturitate præditis, pro illis à diabolo: quæ opinio illis & solatium præbet, & maiorem contemptum ab humilitate desideratum, quem non paterentur à censoribus, si dona illa non manifestassent. Magnum itaque humilitas

f. 8. Epiph.

3. p. pass.

admon.

10.

in dial.

cap. 154.

cap. 40.

militas acquirit pabulum, manifestando ex Dei amore eiusque gloriae propagandae desiderio; Dei dona, & multo maius, quam si illa non manifestarent; tunc enim tam graues & amiori proprio amaras humiliaiones, & alia quae hinc sequuntur mala, non paterentur.

Ad Tertium Resp. Christum & occultasse sua dona ex modestia & humilitate (vti putant aliqui sancti Patres, Ambros. libr. 5. in Luc. Chryl. hom. 26. Gregorius 19. moral. 14. Beda; Euthymius, Theophylactus, vel potius alias ob causas, vt iam dicam) & ea palam aliis propalasse, vti supra ostendi ex Euangelio; & hoc exemplo docuisse, posse ea propalari, quando est vel necessitas, vel utilitas, supra à sanctis Patribus commemorata.

Porro idem gloriosam sui Transfigurationem aliis indicari prohibuit, inquit Chrysolomus, Hieronymus, Beda & Theophylactus, & cum iis noster Maldonatus, ne qui eius audiuissent gloriam, si postea Crucifixum viderent, infirmitate eius carnis offensi fidem perderent. Nam eo in Cruce pendente, nonnullos ex iis, qui eum filium Dei esse audierant, dixisse legimus: Si filius Dei es, descende de cruce. Noluit ergo Christus, vt quod se moriente paucis accidit, omnibus accideret.

Cur autem alia miracula Christus vulgari noluerit, inquit Maldonatus, ignoramus. Scimus tamen Christum non sine summâ ratione & consilio fecisse, & quantum ego coniecturâ assequi possum, ad vitandam Pharisaeorum & Scribarum fecit inuidiam, quibus si minima miracula ferre non poterant, quid facturi erant, si mortuos suscitatos audiuissent? Animaduertimus enim de solis mortuis suscitatis, & curatis caecis,

Christum, ne id sciretur vetuisse: quia ceteri morbi curabiles videri poterant, vitam & visum homo ignorabans non posse plâ arte semel amissum recuari. Nam leproso, quem mundauerat Matth. 8. 4. non absolute dixit, mo cui id diceret, sed ne antequam se sacerdotibus ostendisset. Sed cum sciret vulganda eius miracula, cur precepit, ne vulgarentur? Responder Maldonatus: Vt faceres quod in se erat.

Porro S. Hilarius, ideo Christum ait, vetuisse suorum praedicationem miraculorum; Primò, vt salus hac non offerretur, sed quaeretur, id est, inquit ex eo Maldonatus, ne ideo hoc miraculum,

quasi iussu Christi iactari videretur, vt alij etiam aegroti ad querendam venissent curatiorem, & si leuiter amitterent, si non sponte, sed miraculo impulsu venirent; quam etiam rationem indicat Ambrosius.

Secundò Idem Hilarius ait, quòd Christi miracula praedicare Apostolorum erat officium, quod alij non debebant usurpare.

Denique diuersae res sunt vetare sua praedicari miracula, & sua non propalare miracula. Christus primum fecit, idque non omnino; secundum non fecit, tum quia illa Ioannis propalauit discipulis, & ab iis ei omnia significari

iussit, tum quia, vt obseruauit Maldonatus, Christus dum misit Apostolos regnum Dei praedicare, misit, vt praedicarent aduentum filij Dei, ac proinde, vt eum verum fuisse Deum docerent, quod est maius quid, quam propalatio miraculorum, & vt huic praedicationi eorum crederetur, dedit eis potestatem miracula patrandi, in confirmationem Christi sanctitatis, Diuinitatis & miraculorum quae fecerat.

Item quia ipse Christus tam saepe, inquit Maldonatus, se & filium Dei, & Patrem suum Deum appellauit, & se equalem esse Deo dixit, etiam cum scaldalo & offensione Iudaeorum, quod plus est, quam miracula patrare, & Discipulis sollicitis de pane pro viâ non accepto, commemorauit miracula sua praecipua duo, primum de quinque millibus hominum satiatis quinque panibus, secundum de 4000. hominum refectis septem panibus, & vtroque tot copinis & sportis sumptis, Matth. 16. 9. 10.

Denique Christus vetuit, ne se dicerent esse Iesum Christum, testatur S. Mattheus c. 16. 20, vti obseruauit S. Hieronymus in c. 16. Matth. 20, & Ambrosius in c. 9. Luc. 11. Et Maldonatus in c. 16. Matth. 20. non esse filium Dei naturalem, qualem eum esse Petrus confessus fuit Matth. 16. Iesus enim significat Saluatorem, sed tantum ante Christi passionem Apostoli eum docuerunt esse iustum, Prophetam inaudita miracula facientem, Messiam à Deo promissum, sed non docuisse esse filium Dei viuis, id est, verum & naturalem Deum. In quam sententiam iens Maldonatus, Illud, inquit, certum, nunquam Christum autem Passionem suam Apostoli precepisse, vt se filium Dei esse praedicarent: ipse vero nunquam satis aperte se filium esse Dei in publico declarauit: quia cum aliquando offensi nonnulli essent, quòd Deum, Patrem suum appellasset, eorum opinionem auibiguitate nominis ludificauit: Nonne, inquit, scriptum est in lege vestra, Ego dixi, Dij estis: illis dixi Deos, ad quos sermo Dei factus est, quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicite quia blasphemias; quia dixi filius Dei sum. Ioan. 10. 34. 35. 36.

Ad Quartum. Idem Gregorius, qui dixit Sanctorum esse occultare Dei dona; dixit, vt supra vidimus, etiam dum opus est, ea illos propalare, & dum ea propalant, bene illos facere.

Ad Quintum. Sancti etiam dum dona Dei propalant, optant pro nihilo reputari, & per propalationem non praetendunt hoc, vt sciantur & magnificent; sed vt se iuuent, alioque & Dei gloriam promoueant, cum quâ tamen simul desiderant pro nihilo haberi. Nec ista sunt impossibilia in humilitate. In quâ, etsi est cognitio Dei donorum magnorum, & cognitio absentiae peccatorum grauium, tamen solide humilis hac, quam habet, duplici cognitione non obstante peiorem se omnibus peccatoribus iudicat, etsi eorum peccata in se non habeat, & se pro tali haberi optat, etsi causam in se non habeat, scilicet illa peccata, quae scit alios habere.

in Comment. Matt. 17. 9. & c. 16. 20. Math. 27. 40.

in c. 9. Math. 7. 25.

Mat. 9. 25. 30.

Can. 7. in Matth.

in cap. 8. Mat. 4.

Amb. 1. r. in Luc. Chryl. hom. 26.

Greg. I. 19. mor. cap. 14.

in c. 16. Mat. 10.

ep. 7.

Dicit

Dices primò. Est periculum magnum vanæ gloriæ propalare Dei donos; pericula autem peccati, à seruis Dei sunt fugienda, ergo & propalatio Dei donorum.

Respondeo primò. Etiam dum Christi iussu luctet lux nostra coram hominibus, & dum videt bona opera nostra, est periculum vanæ gloriæ, & tamen ob illud, non sunt omittenda bona opera. Sic & manifestatio Dei donorum, dum eam charitas exigit, omitti non debet, & à marginis Sanctis omiſſa non est.

Respondeo secundò. Illi, quibus Deus dat dona mira valde, quantum ex Historicis. Ecclesiasticis & notitiâ, quam habeo talium plurimum personarum in Societate nostrâ, habent à Deo datam sibi tantam humilitatem, ut nullis proſus superbiæ aut vanæ gloriæ tentationibus moleſtentur, imò positivam sentiunt difficultatem, & quasi quandam moralem impossibilitatem superbiendi. Ideò non est periculum, ut ex manifestatione Dei donorum vanè glorièntur, aut optent magnificeri: quin potiùs præter lucrum illarum animarum, quæ iuvantur ab eis per manifestationem Dei donorum, vplurimum luerantur malam opinionem apud aliquos Cælores, qui, ut ait S. Gregorius lib. 22. mor. cap. 15. Epist. 72. *renuunt bona credere, quæ nesciunt operari.* & ut dicit Seneca, *Non putant fieri, quicquid facere non possunt, & ex infirmitate suâ, de aliorum virtute, ferunt sententiam.* Imò quod peius est, detrahunt talibus & mente & ore, & traducunt coram aliis, habentque tales pro superbis, leuibus, à demone illis, quæ omnia humilis habet pro magno lucro, ideoque propalando Dei dona, non detrimentum, sed incrementum acquirit humilitatis tale, quale non haberet ea occultando, quia per eorum manifestationem incidit in malam opinionem & contemptum apud alios, quod potissimum verus humilis desiderat ex corde, si humilis verè est, & aliâ viâ vix æquè facillè tantum bonum acquirere potest: ideo etiam ex humilitatis instinctu, non solius charitatis, ob spem tanti boni, dona Dei propalari possunt, ut hæc ratione id allequantur, quod S. Ignatius in Ex. c. 4. §. 44. *magni facere nos iubet, tanquam rem summi momenti, in conspectu Creatoris ac Domini nostri, magno perè iuvantem ac conferentem ad vitæ spiritualis profectum, scilicet stulti haberi & existimari &c.*

Dices secundò. Cum sit amor proprius valde subtilis, & periculum sit, ne sub specie zeli ingrat se appetitus laudis, & gloriæ vanus; unde potest agnosci, non huius, sed puri zeli instinctu, manifestari ab aliquo res laude dignas?

Respondeo. Primò huius rei infallibile signum est, quando is, qui Dei dona manifestat, ut aliquem iuvat, æquè facillè, imò promptius manifestat peccata sua vel defectus, dum id necessarium videt ad iuvandum alterum, vel dum vult pro imperfecto haberi. Et tales sunt omnes illi

serui Dei, qui ex puro zelo dona Divina sibi concessa aliis detegunt. Quocirca benè observavit P. Massæus in vitâ S. Ignatii lib. 1. cap. 10. eum, postquam inanis gloria vitium, quo antea laboraverat, superasset, radicitusq; evulsisset, postea quòtisfœcunq; salus animarum, aut Dei gloria postularet, sua non minùs bona, quam mala, sine vllâ proſus cenodoxia titillatione, palam & ingenue exprimere solitus.

Alterum puræ intentionis hæc in se signum est, dum is, qui dona Divina sibi concessa manifestat, maiorem ex se, in se sentit pudorem vel repugnantiam ad ea manifestanda, quam sentiat ad manifestandas res, quæ illum humiliare & confundere coram iisdem possent. Qui enim ex appetitu vanæ gloriæ aliquid laude dignum manifestant de se, valde abhorrent à manifestatione siue per se, siue per alios faciendâ, rerum in sui contemptum redundantium.

Tertiù signum est, non ex vanitate sed ex Dei amore & proximorum, dona Dei detegi, quando prima omnium cogitatio, quæ menti eius primò repræsentat, manifestanda esse Dei dona, non excitatur ab appetitu seu desiderio laudis vel gloriæ apud alios, imò quando ne quidem venit in memoriam, ne quidem per primum motum, vllum desiderium, etiam involuntarium, laudis & gloriæ, sed solùm desiderium iuvandi aliquem, tali manifestatione, quæ peractâ sperat eum, crediturum magis eius cõsiliis vel doctrinis, per quas eum vel à malo avocare vult, vel à minore bono, vel in bono magis ac magis promovere.

Quânquam, etiam si involuntariè ingerebat se desiderium vanæ gloriæ, ante talem manifestationem Dei donorum, si verè necessitas vel vtilitas certa speretur, abigendum est desiderium vanitatis, & corrigenda inordinata intentio ab amore proprio inspirata, & eius loco adhibenda est pura intentio, & voluntas iuvandi alterum propter Deum, per illam donorum Dei modestam & veracem & humilem manifestationem, remotam ab omni iactantiâ, & aliorum contemptu vel postpositione, & coniunctam nihilominus saltem cum desiderio (ut loquimur in scholis) virtuali, humiliationis & contemptus nostri, qui in seruis Dei magnis, esse solet penè assiduus, & sæpè expressè elicitur ex motivo humilitatis valde amatae propter Deum.

## CAPVT VNDECIMVM.

## De quinto Gradu Humilitatis.

Quintus Gradus est, desiderare ut humiliatiua, quæ ab aliis sciuntur & creduntur, etiam aliis, qui ea ignorent, manifestentur. Hic gradus est latior, quam quartus, qui erat desiderare, ut sit in malâ opinione apud alios. Verum

rùm desiderare ut illa mala opinio, quæ est apud aliquos, etiam ad plures, qui eam nondum habent, extendatur, ut ita apud plures vilior fiat, & contempnatur, magis heroicum est. Hoc omnes verè humiles habent. Hoc ex iisdem exemplis, quæ supra attulimus, apparuit illos desiderasse.

c. 3. vita.

S. Franciscus mira exempla huius humilitatis edidit, quæ in eius Vita leguntur, & in vita S. Philippi Nerij. Bèné dicebat B. Laurentius Iustinianus: *Non est tanta virtus contempnere honores, quam contemptum appetere. Plus est enim, ut male affici negligas, quam ut bene affici non cupias. Ceterum illud summa perfectionis, ut male affici desideres.*

## CAPVT DVODECIMVM.

## De sexto Gradu Humilitatis.

82. **G**Audere de omnibus iis, quæ nos humiliant, & hominibus contemptibiles reddunt, uti sunt opprobria, contumelia, irrisiones, persecutiones, infamia; & abhorere ab iis omnibus per quæ commendabiles reddamur, & idèd fugere placentia, omne quod abiectum est suscipere, nil humiliarium timere, & dolere de iis quæ superbia appetit, si nobis contingant. Hæc B. Iustinianus. Vide Cass. Coll. 18. c. 11. in S. Bernardus serm. 16. in Cant. *Verus humilia, vili vult reputari, non humilis pradicari: Gaudet contemptu sui, hoc solo sanè superbus; quod laudes contemnit.*

## CAPVT DECIMVM TERTIVM.

## De septimo Gradu Humilitatis.

83. **S**eptimus humilitatis gradus est, postquam sex præteritos gradus aliquis est assecutus, verè & ex corde existimare omnia Dei dona quæ habet, & quæ de nouo percipit tam pro se quàm pro aliis, per aliquam sui cooperationem & ministerium, non esse sibi, nec per se aliis à Deo concessa, ob suas preces vel merita, & ob sui respectum, sed ex merà Dei beneuolentiâ, gratiâ, misericordiâ, & liberalitate. Proinde qui hunc ascendit gradum, nunquam se putat quicquam à Deo impetrasse, nec exaudium esse, sed quæcumque Deus concessit ei, vel aliis, post suas preces pro illâ re fufas, etiamsi videat subsecutum effectum, quem desiderabat, reputat illum non tanquam effectum suarum precum aut me-

ritorum; sed tanquam gratuitum donum à Deo collatum sine vilo respectu ad eius preces & merita, ex merà liberalitate Dei, eò modo, quo Angelis Deus contulit primam gratiam; & Adami primam innocentiam, sine respectu præcedentium meritorum & precum; quæ in iis ante primam gratiam esse non potuerunt.

*Diæes:* Quomodo ergo David sepe ait in Psalmis, sed à Deo exaudium esse, & viri Sancti orant, ut Deus illos exaudiat, & tamen erant humillimi, & sine præiudicio humilitatis id de se sentiebant?

*Respondeo primo;* Davidem in Psalmis merèd id dixisse, quia id ei Deus reuelauit, uti & Psalmos omnes quos scripsit. Et hoc modo alij iusti dicere possent se exauditos à Deo, si id dimittis ferent, quod cum non ferant, securus est & humilitati conformius, nil suis precibus, quasi per eas impetratum adscribere.

*Respondeo secundo;* Certum est & iustos & peccatores à Deo in multis exaudiri, & ob preces eorum, Deo inspirante & adiuuante fufas, multa iis concedi. Sed cum id non ferant certo, non debent precibus suis quicquam, quasi per eas impetratum, attribueret, sed ex instinctu humiliarijs, totum Deo totaliter adscribere, quasi collatum ab eo sine vilo precum nostrarum & meritorum intuitu ac respectu, ex merà beneuolentiâ & purâ gratiâ ac solâ. Hoc sensu dixit humilis S. Iob. c. 9. 16. *Cum inuocantem exaudierit me, non credo quod audierit vocem meam.* Simili modo, etiamsi certum sit, multos esse in Ecclesiâ Dei iustos, Deo gratos, gratiam eius habentes, multa opera meritoria facere, in Dei gratiâ proficere, tamen hoc illi de se non dicunt ex humilitate, & magni quoque Sancti dicunt se nil boni vnquam fecisse & facere, nil meruisse, nil mereri. Hoc spiritu humilis Paulus de se dixit Rom. 7. *Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne meâ, bonum.* Et tamen etiam caro eius non tantum anima erat plena Deo summo bono, & alijs gratis bonis multiplicibus, ob quas dixit de se alibi: *Viuo iam non ego, vivit autem in me Christus, qui solus bonus est, ut est in Euangelio.* Hoc igitur modo etiam Dei serui humiles, non agnoscunt se exaudiri, se impetrare. Et quod aliquis Deo vicinior est virtutum excellentiâ, eò magis agnoscit suum nihil, suas imperfectiones; ut docent sancti Patres.

Ne hos vltimos gradus fufius explicarem, morbus impediuit, & aliæ occupationes obstituerunt.

## LIBER SECVNDVS.

## De amandâ &amp; quærendâ, ex Dei amore, nostri Confusionis.

## CAPVT PRIMVM.

## De modis quærendæ nostri confusionis.



Nter alia heroicę humilitatis facinora, non postremum est, efficaciam studium quærendæ ex Dei amore nostræ coram aliis confusionis, & qui inde sequi solet apud imperitos rerum, & ignaros thesaurorum cælestium, nostri contemptus. Quod, vt non tantum Religiosæ perfectioni additis in Regularium cœnobis, sed in sæculari quoque statu, vitam spiritualem colentibus commendem, accuratam hac de re tractationem inlituo, eo cõsilio, vt hac in re plurimum excellere conentur, tanquam in re valdè Deo acceptâ, & magno opere ad eximium in virtutibus progressum, conducente, & à magnis Sanctis verbis factisque cõmendatâ, si debito modo, ante finem huius Opusculi præscribendo fiat. Verùm ante omnia explicandum est, quæ sint illa, per quæ publicam nostri confusionem, & honesti pudoris materiam, quærere, ac ardentè debeamus prenfare.

Ego sanè existimo, confusionis honestæ materiam ad Quatuor capita posse reduci: *Primum* est, publica nostrorum defectuum manifestatio, siue id per nos siue per alios, Maiorum permissione contingat. *Secundum*, ad humilia & vilia, mundi iudicio, officia refertur, qualia sunt, domum vel areas verrere multis spectantibus, res fordidas & inquinatas abluere, mendicare, seu, vt loquitur S. Ch. gr. 25. (id appellâs *viam & neruum humilitatis*) eleemosynas quærere, cum pauperibus in loco cunctis petuio, cibum sumere, emptorem, res in foro emptas humerisque iniectas baiulando, comitari: & his similia. seruorum vel mancipiorum propria exequi. *Tertium*, ad attritarum vel squallidarum, vel cum plurimis confusatarum centonibus, vestim gestationem, spectat. *Quartum* denique versatur circa constans silentium, & fugâ excusationis & nostri defensionis ac purgationis (dum ea non exigitur à nobis iniquè delatis) præsertim apud nostros Maiores, vel similes, quorum nobis fauores, & gratiâ necessariam putamus, & quandoque à proprij amoris innato impulsu nos superari dolemus.

## CAPVT SECVNDVM.

## De utilitate Confusionum pro Deo suscipiarum.

Dico itaque valdè vile, & penè necessarium ad spiritualem profectum esse, plurimum

Deo acceptum, ac omnium Religiosorum spiritui conforme, si vitæ spiritualis, præsertim in Religionibus, sectatores, tum tirones tum in statu proficientium constituti, & qui necdum altos virtutum ac meritorum gradus sunt assecuti. his quatuor modis, publicam sui confusionem, & ipsi quantum licet quærant, & oblatam ab aliis animo generoso ferant alacriter, aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Iesum, qui (vt ait Apostolus) *sustinuit crucem confusionis* (vt ait Apostolus) *sustinuit crucem confusionis* Ad Hebr. 12. 2.

Ad quod persuadendum maiora excitamenta non habeo, quàm ipsius Dei, tales confusiones amantis, & insignium remuneratione donorum commendantis, iudicium, ac exempla omnis generis Sanctorum.

Cum enim Deo tantoperè sit accepta religiosa humilitas, vt libro 1. ostendi, quippe quæ est, vt ait S. Cyprianus, *fundamentum sanctitatis*; tæ Chr; & quidem non qualecunque, sed, vt existimat Natiu. 5. apud Palladium Abbas Ioanthes, *fundamentum primum omnium virtutum*; & vt loquitur S. Chrysostomus, *Mater, & radix, & alitrix, & sulcimentum, & vinculum bonorum*; & vt scribit S. Basilii, *centrix omnium virtutum, eamq; sequitur, bonorum veluti quoddam examen*; quin imò non tantum virtutes in animam, sed, vt Christus dixit S. Brigittæ, *ipsum Deum in cor intro-* 1. 6. Red. cap. 116. 3. ep. 87. ad Ogetiũ.

ducit. Ex alterâ parte cum vera & solida humilitas ex humiliationibus nascatur: liquidem, vt docet S. Bernardus, *humiliatio est via ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam*: necessariò videntur accersenda nobis, confusionis opera, quia mæxima in eis nostri humiliatio versatur; & sic per ea culmen humilitatis attingitur, & cum eo coniuncta virtutum aliarum præsidia & ipse perfectionis eximie apex. Verè enim S. Cyprianus scriptum reliquit: *De humilitate ad summa crescimus, ad dicitur, vnde placeamus: Deus veritas est, quam obrem & diligit veraces, & odio habet mendaces: Superbi verò mendaces sunt & fluiti; qui cum nihil sint, se aliquid esse putant. & ab hominibus magni videri volunt, qui digni odio habentur. At humiles sunt veraces, qui sentiunt se nihil esse, qui se ipsos despiciunt, & ab aliis despici cupiunt: vnde & equum est, vt à Domino diligantur. Et quidem quos Dominus diligit, extollit: & eius diligere, esse hominem & distare est.* Dicit autem eos citius, qui confusionis studio propter Deum, pro stultis haberi expectant. Vidit olim B. Maria Magdalena de Pazzis, admirandæ sanctimonie Virgo Carmelitana calceata, à pueritâ suâ Societatis institutione in vitâ spirituali exulta; vsque ad mortem, ante

G g g annos

5. annos paucos Urbani VIII. Pont. Max. auctoritate, Officio Diuino & repositione in Martyrologio Romano ob magna in vitâ, & post mortem miracula edita, coniuncta cum vitâ eximâ sanctitate: hæc, inquam, Sancta vidit semel Beatissimam Virginem tenentem vas pretiosum liquore cælestium donorum plenum, & in raptu dixit: Iste liquor purus, attractiuus, dulcis & delicatus datur illi, qui relinquunt sapientiam & prudentiam humanam: illum attrahunt illi qui magno zelo appetunt iustitiam & puritatem cordis, & illi qui sunt facti stulti propter Christum.

1.4. Reu.  
cap. 72.

6. Dicit omnino virtutibus tales stultos Deus, & adhuc in hac vitâ extollit atque commendat. Quâ de re præclarum extat Christi ipsius inter alia, testimonium, qui S. Brigittæ reuelauerat, inter quatuor causas, ob quas Lazarum suscitauit, tertiam fuisse, Quia Maria Magdalena humilitas tantum meruit in lotione pedum meorum, ut sit in conspectu multorum laetaretur & honoraretur. Procul dubio enim Magdalena, ut sæculi dedicata vanitatis, non sine magnâ confusione sui, ad lotionem Christi pedum, cunctis in conuiuium spectantibus sese deiecit, & ut ponderat S. Greg. ardens dolore, flere etiam inter epulas ac conuiuiantes non erubuit. Nâ quia semetipsum grauiter erubescibat intus, nihil esse credidit, quod verecundaret foris.

7. Quam veritatem pie & ingeniosè expressit noster P. Cornelius Wischauen Belga, qui viuentis S. Ignatio fuit in Domo Professa Romanâ nostrorum Confessarius, & simul Magister Nouitiorum, hac in re iudicio S. P. Ignatii peritissimus, & adhuc in sæculari statu valde ob vitâ sanctimoniam æstimatus, & à P. Petro Fabro commendatus: Hic, inquam, magnus vitâ Spirituales Magister, & vir sanctus, à quo adhuc viuente, quendam mortuum, ad vitam reuocatum fuisse, legi in scripto quodam, nostri Romani Archiepiscopi, quod scriptum ille ipse, qui à mortuis per Cornelium suscitatus est, manu propria subscripserat: Hic, inquam, tantus vir, ut scribit Sacchinius, dicebat; gaudere Deum res ex nihilo facere, quod in modis, infinita eius virtuti proprius sit, & claris eam prædat. Ut igitur hanc rerum vniuersitatem, & pulcherrimam speciem, ex nihilo procreauit, ita & in animis hominum mundam ornatumq; virtutum, ex nihilo, id est, ex humilitate, quâ suum quisque nihilum proficitur, hoc est, factis ostendat, efficere. Sed præstat hoc ipsum simplicibus & clarioribus verbis exprimere, quibus, ut P. Iacobus Ledesma, vir quoque sanctus in secusidâ nostræ Societatis historiâ valde commendatus, sibi à P. Cornelio, suo in Nouitiatu Magistro, dictum, in secreto suo libello, qui penes me est, manu propria notauit: ex quo libello P. Sacchinius à me mutuo accepto, illud, uti & alia quædam, in Societatis historiâ retulit: Cùm dicerem, scribit Ledesma, credo inuitatus sermonibus ipsius P. Cornelij ad R. P. Laynez (qui tunc erat nostræ Societatis Vicarius Generalis) magnam rem esse humi-

to. 1. hist.  
Societ.  
1. 1. n. 56.

pag. 17.

litatem, & simplicitatem, & difficillimam, & mensure eam in me efficere, sed tamen velle & optare, quia hanc Deus simplicitatem & humilitatem in nobis desiderat, & cum us qui tales sunt, conuersatur, atque idem me has valde optare, ut possim peruenire ad Iesum Dominum meum; respondit S. P. Cornelius (cuius omnia spiritualia responsa sibi Nouitio data, scripsit in eo libello) Deum ac Iesum esse omnipotentem, & ita velle eum operari, cum summâ omnipotentia. Unde quæ admodum Deus ex nihilo omnes res naturales procreauit, nihil enim erat, ex quo illa fieret, sed omnia erant nihil, & ex nihilo facta; ita etiam in rebus spiritualibus, omnia velle facere ex nihilo, scilicet, ex homine, qui sit nihil, & in se se talem putet, scilicet nihil: & in eo atque ex eo: tunc cuncta Iesum ac Deum fabricare, scilicet virtutes ac res magnas, mirandas, & stupendas hominibus, Hæc ex Cornelio Ledesma, qui p. 3. fin. sui libelli, hoc quoque scripsit: Cùm dicerem (R. P. Cornelio) quo pacto possem acquirere humilitatem, & videretur mihi, quia ex infimis exterioribus exercitiis, non possem humiliari interioribus; respondit: Sine modo; domus enim à fundamentis incipi debet. Et iterum, cùm videri arborum, & fructus eius, si vis scire unde prouenerit illa pulchra, qua vides & placere oportet ad inferiora descendere, scilicet ad radices arboris, & inferius per terrâ cuniculos agere, sicut talpa solent, quousq; perueniatur ad radices, atque ita sicut talpa oculis clausis ad radices per inferiora penetrantes perueniunt, ita in virtute obedientiæ, per illa ministeria infima & exteriora, ad humilitatem tandem illam interiorem, quam optamus, perueniemus, o. ulis clausis, hoc est, cæcâ obedientiâ.

Pulchre S. Dorothæus id explicat, allatâ causa, ob quam exteriore humiliactione internam pariatur humilitatem: Anima, inquit, disponitur ab his, que patrantur in corpore, sequiturq; habitum corporis. Aliter enim, verbi gratia, disponitur anima infidelis in asino, aliter sedentis in throno, aliter optimis vestimentis induti, aliter pannosi, & concludit; humiliatio corpore, humiliari & animam. Ideo S. Bonaventura ait: Quoniam ad humilitatem humiliatio par. 6. via est, non erubescant Religiosi humilia, nec humilitatis officia facile respuant; quia inter quatuor, que veram conferunt humilitatem, à S. Bernar. in spec. 6. primo loco ponitur, vilitas operis. Et S. Ioannes Climacus: Viam humilitatis atque materiam, corporales labores esse, sanctis & semper memorandis Patris diffinierunt. Ideo inter probationes, & exercitia humilitatis, talia recensentur à S. P. N. Ignatio: Ad particularia, inquit, descendendo in probationibus humilitatis, & abnegationis sui, & in exercendis officij abiectionis & humilibus (cuiusmodi sunt in culinâ seruire, euertere domum, & reliqua omnia seruitia obire) promptius ea suscipi conuenit, à quibus sensus magis abhorrebit, si quidem inuinctum fuerit, ut in his se exerceant. Hoc ipsum S. Basilium commendat: Intellegendum est, debere pietatis cultorem viliora etiam munera, magno cum studio, magnâq; cum animi alacritate suscipere, scientem nihil minutum esse, quod Dei causa fiat, sed grande & spirituale, & eiusmodi quod celum nobis, & præmia cælestia conciliat.

Et

Et paulò pòst addit: Si de muneribus in qua abiectiona sunt, aliquid exercendū est, scire conuenit. Saluator enim quoz, ipsum Discipulis ministrasse, & abiectiona opera facere non recusasse, magnūq; homini esse, si Dei imitator existat, cum per hac, qua uita sunt, ad altitudinem illam, quòd illum sit imitatus, ascendit.

9. Quamquam quis humile ausit appellare quippiam, quod Deus ipse attingere non recusauit: Ideo meritò Christus Dominus S. Brigite dixit: Si ex charitate penam tuam suscepi in me, sta sicut famuli mei stant, in uerâ humilitate, ut nihil erubescas, nihil timeas nisi me. Et alibi eidem dixit: Vestes tuas debent esse humilitas, interior & exterior, ut nec extollas te, quasi alius sanctiorem interius nec erubescas coram hominibus exterioris exhibere humilem.

11. S. Ioannes Climacus tradens modum extirpandi uana gloriæ appetitum, sic ait: Plerumq; Dominus inanis gloriæ cupidus per aliquam sibi contingentem ignominiam traxit. Cuius odij inimicū est, oris custodia, amorq; uilitatis & ignominia. Medium uerò intellectualium omnino inanis gloriæ studiorum amputatio. Finis uerò (si tamen ullus abisso est finis) ea omnia coram multitudine studiosè ac sine ullo doloris sensu querere: quæ ad ignominiam pertinent nostram. Noli confusionem tuam abscondere, quasi id ueritus ne tibi videaris offendiculum ponere.

Et alio in loco sic monet: Pugna & contende totis uiribus, stultam tuam sapientiam decipere, atque ita faciens, inuenies salutem, & equitatem, in Christo Iesu Domino nostro.

Talis erat S. Marcella, quam laudans S. Hieronymus scribit: Non erubuit profiteri, quod Christo placere cognouerat. Magnum est huius rei meritum, Christi Domini exemplum. Ideò S. Antonius scripsit: Dilectissimi filiioli, scire uos uolo, quod pro nostrâ stultitiâ elegit stulta, & pro nostrâ infirmitate, formam infirmitatis assumpsit.

## CAPVT TERTIVM.

Exemplis ostenditur, quàm sint Deo acceptæ nostri confusiones.

PORRò ut etiam exempla nos doceant quàm sit grata Deo nostri confusio, exhibita per exercitia humiliationis supra commemorata, adferam in medium aliqua.

12. Primum exemplum est: Cùm Achab audisset ab Elia Dei contra se minas grauissimas, & inter alia interitum domus suæ, Achab scidit uerimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitq; & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite. Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten dicens: Nonne uidi humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius. Atque ita quamuis ei Deus per Eliam prædixerit, eius cadauer fore insepultum; (hoc enim significant uerba illa v. 24. Si mortuus fuerit Achab in ciuitate, comedent eum canes; si in agro, uolucres cæli) tamen capite sequenti uer. 37. dicitur esse se-

pultus in Samariâ, eò quòd propter subsecutam eius humiliationem Deus remisit. inquit S. Chrysostomus & Tertius aliquid de seueritate iudicij, & malū, quod eius personæ minatus fuerat, distulit in personam Filij illius Iorā, ut dicitur hoc eod. c. 21. v. ultimo. Quā in re ponderāda sunt aliqua, ut agnoscamus benè, quantum possit exterior humiliatio, & pro Deo suscepta nostri confusio.

Primò, quis fuerit Achab, cuius humiliatio & confusio ad eò ei profuit: fuit iniquus occisor innocentis Nabod, & raptor uinæ eius, & tandem de eo Deus v. 25. & 26. dicit: Non fuit alter talis, sicut Achab, qui uenundatus est ut faceret malum in conspectu Domini, & abominabilis factus est in animum, ut sequeretur idola, que fecerant Ammoræi quos consumpsit Dominus à facie filiorum Israel. Et, fecit Achab malum in conspectu Domini super omnes qui fuerant ante eum. Unde meritò exclamat S. Basilus: Quis magis impius, quàm Achab descriptus est: si ergo homo ad eò impius humiliatio externā Dei ita placuit, & flagella à Domo suā pro suo tempore auertit, quantò magis iustus & Dei seruus, & Religiosus & Sacerdos Deum flectet ad concedendam ei perfectionem, ad eò ab ipso desideratam in eo, quomodo Deus non desiderabat ex se extirpationem domus Achab.

Secundò, ponderandū est, qualis fuerit humiliatio ista Achab: fuit ualde parua: nā quid magis est, ambulare demisso capite & cilicio, uel sacco indui: & tamen ista profuerūt impio; multò ergo magis proderūt maiores humiliationes, quales solent suscipi à feruentibus Religiosis, & præferim, quæ confusionem magnam afferunt.

Tertio, ponderandū est, quod putant S. Gregorius & Theodor. Procopius, Lyranus, Carthusianus, Achabum non uerè aut perfectè penituisse; et si contrarium asserant August. & Hieron. Si ergo ficta penitentia & humiliatio solum exteriori demonstrata ei profuit, quantò magis proderit, dum ex animo quis se humiliare cupiens, exteriori confusionem sui quæsiuerit.

Secundum exemplum in signe legimus in sacrâ historia: Cùm Roboam reliquisset legem Domini, & 2. Par. 12. omni Israel cum eo, & ob hac peccata Sefac Rex Aegypti occupasset ciuitates munitissimas in Iuda, & uenisset usq; in Ierusalem; eum uidisset Dominus, quòd humiliatus esset, factus est sermo Domini ad Semeiam Prophetam, dicens: Quia humiliati sunt, nō disperdam eos, daboq; eis paucillum auxilij, & non stillabit furor meus super Ierusalem per manum Sefac. Et infra dicitur: Quia humiliati sunt, auersa est ab eis ira Domini, nec deleti sunt penitus. Quamuis hæc eius humiliatio præuila fuerit à Deo non duratura, nisi tamdiu, quā diu Sefac fuit in Ierusalē, sed postquā inde discessit; sublati thesauri Domus Domini & Domus Regis & alij, uti habetur v. 9. rediit ad ingenium & uitam malam, prout scribitur fecisse post abitum Sefac v. 14. Quantò ergo magis humiliatio coram Deo constans & duratura proderit?

His adiungi potest tertium exemplū, iudicio S. Ioan-

S. Iohannis Climaci, Manassis. Nam cum discessisset de actibus variis humiliationis, ut illius Senis, qui panem & caseum sumpsit in manibus abiectionis sua gratia, & Sancti alterius castissimi, qui civitatem circumivit nudus; post celebratas laudes eorum, qui culpas, quibus carent, quibusdam in rebus vitiositatis causa confingunt, & patiuntur suis esse ludibrio, & conterenda vanissima elationis causa, prompte ad ignominias currunt, subdit: Invenio Manassem illum inter homines ceteris amplius & perniciosius peccasse, templumque Dei ac Religionem omnem profano cultu Idolorum inquinasse: pro quo si mundus totus retribueret, nullam sceleribus eius dignam poenitentiam inferre potuisset: valuit tamen humilitas insanabilia eius vulnera curare.

15.  
gr. 4. col.  
6. 7.

Idem S. Climacus recenset Exemplum quartum Macedonij: Qui cum iussu Abbatis ex quodam itinere non rediisset ad praescriptum diem, quo tanquam Diaconus die Epiphaniae ministrare debebat in Sacrificio, Abbas amovit eum a Monasterio, atque in ultimo incipientium ordine constituit. Suscepit ille sine maerore Patris sententiam, ut quasi non ipse sed alius videretur increpatus. Igitur cum in tali ordine dies 40. peregisset, rursus illum ad pristinum gradum reduxit Abbas. Quem item post unum diem obsecrat Macedonius, ut se in eadem ignominie humilitate restituat: deliquisse se graue quoddam atque insanabilem in civitate. Afferens autem sanctus Abbas, hunc non vera proloquitur, sed humilitatis gratia hoc inquirere, cessit parere honesto desiderio. Vidisset canonicam venerandam degere in incipientium ordine, sincere omnes ut pro se orarent deprecantem. Cecidit enim, atque in fornicationem inobediens. Mihi tamen humilis reseravit hic magnus Macedonius, cuius rei gratia ad hanc proposui humilitatem ita sponte accurrisset. Nunquam enim, inquit, ita me bello omni leuigatum sensi, Divinique luminis dulcedinem in me ipso vidi.

Idem paulo post narrat, Abbatem eundem, si quem forte denotasset ostentationi studentem, cum seculares ad Monasterium veniebant, hac eos arte curasse: Contumeliosius illos in conspectu aduentantium afficiebat, ministeriaque illis ignobilia iniungebat. Quo illi increpationis genere ita sanabantur, ut iam si qui ex seculo ad Monasterium venissent, aspectum eorum cursu fugerent.

16.

Quintum exemplum sit, quod describitur in vitis PP. de quodam Fratre, qui in Congregatione omne pondus, quod Fratribus imminabat, ipse suscipiebat, ita ut se etiam in fornicatione accusaret. Quidam autem Fratrum ignorantes actus eius, ceperunt murmurare adversus eum, dicentes: Quanta mala facit hic, & non operatur? Abbas vero sciens quae ille Frater agebat, dixit Fratribus: Volo unam matulam ipsius cum humilitate, quam omnes vestras cum superbia. Et ut demonstraret ex Dei iudicio, qualis esset Frater ille, attulit omnia quae operati fuerant Fratres illi, & matram eius de quo querebantur, & accendit ignem, & iactavit in medio. Consumpta sunt ergo omnia illorum opera, matra autem Fratris illius inesa

permanst. Hoc autem illi Fratres videntes intruerunt & poenitentiam coram illo egerunt, habentes illum deinceps velut Patrem. Ita etiam indiffereta confusio Deo placuit, quanquam eo tempore non fuit indiffereta, quia non erat prohibita per vllam Regulam scriptam, ut nunc est prohibita in quibusdam Religiosis Ordinibus.

Sextum sit P. Balthazaris Alvarez, qui cum esset Rector Collegij Salmanticensis, in illa Provincia Societatis primarij Seminarij, cui regendo grauissimi quique Patres & praecipui praefici soleant, uti numerosissimo & omnium scientiarum studiis tractandis celeberrimo. In hoc Collegio viri aliqui graues, valdeque religiosi & altius auctoritatis conceperunt de P. Balthazare opinionem, quod esset valde rudis, illiusus, ac deceptus, ac proinde alios quoque deciperet, & qua illi Deus comminabatur, existimabant esse a Sathana transfigurante se in Angelum lucis. Nec desuit qui minaretur velle se rem ad sancta Inquisitionis officium deserere, verius forte ne quem errorem umbrisset illuminatorum. Haec detulerunt ad P. Generalem Euerardum Mercurianum, cui cum P. Balthazar non ita esset notus atque eius Praedecessori B. Francisco Borgia, voluit P. Generalis rem bene examinari, eamque totam commisit P. Visitori, quem miserat in Hispaniam, P. Iacobo Anelando, qui dum visiteret Collegium, cuius P. Balthazar tunc erat Rector, statim iussit tradi sibi ab eo omnia sua scripta, videnda & examinanda. Quae promptissime tradidit, cum tanta subiectione atque si esset aliqui Tiro, nullo verbo obiectione & opposito, toto tempore quo Pater Visitor illa apud se habuit. Et cum alij viri pij & eruditi, eum de hoc argumento alloquerentur, ille tacebat, & ferebat, & permittit probari, examinari, atque contemni rara in ea re humilitatis ac patientiae indicia praebens. Eodem tempore, aliqua etiam falsa ipsi obiecerunt, quae tamen ita transire permittit, atque si ad ipsum non spectarent, re ipsa faciens quae alius facienda proponebat: non esse perfectam humilitatem absque humiliatione, neque patientiam absque vehementibus congressibus: & praecipuam virtutis partem in eo consistere, ut quis talibus occasibus & opportunitatibus vii non negligat, & ipsum profectum maxime consistere in eo, ut quis nouerit se bene humiliare, tolerare, tacere, exponendo etiam periculo honorem & existimationem propriam, propter Dei amorem. Quod ut confirmaret, eisque, qui in suo Collegio versabantur, animum adderet, dixit ipsemet in quadam exhortatione, quod semel honorem suum periculo exposuisset, & tunc incepisset plenis, ut dicitur, manibus, dona ac beneficia ipsius ferre. Occasio autem fuit, quod in quadam Congregatione Provinciali, aliquid satis graue de se fuisse dictum, propter quod fuit publice coram omnibus Patribus reprehensus. Ipse autem hereditat cogitans, an expediret reddere sui rationem, ed quod quidam, ex grauioribus & sanctis Patribus, qui ibi aderant, ei suadebat, ut faceret, imò obstringebat ut faceret, siquidem a deo vere id poterat facere: & ed quod bonam ipsius nomen in materia virtutis tanti esset momenti, tam erga domesticos quam erga externos. Sed cum illud

15.  
18.

16.  
de vi  
solit.  
20.

16.

con-

consilium propensioni sua naturali valdè arrideret. noluit illi fidere; sed locutus est cum quodam alio Patrè, valdè fideli Dei seruo, qui dixit ei: si taceret, nec publicè aut priuatim in eà causâ pro se responderet, fore id magnum & gratum Deo sacrificium. Et ita fecit, successitq; illi ad eò benè apud Deum Dominum nostrum, qui liber ali suâ manu heroicum illud silentium remuneratus est, vt sapius gratias illi egerit pro tam bono consilio, quod postea in omni occasione occurrente seruauit, quamdiu Superiores non iubebant ex obedientiâ sui reuerentiâ suarum rationem reddere. Ita P. Ludouic. de Ponte in eius vitâ refert c. 40. §. 11.

18.

Septimum habemus in vitâ P. Balthasaris Aluarez de P. Christophoro Gonzaluo, qui dum tertium Probationis annum perageret, & antea acquisiuisset donum valdè excelssæ orationis, interrogatus à P. Ludouico de Ponte, quando & quâ ratione Deus illi tam excelssæ orationis donum communicasset, respondit, eò statuisset viriliter firmoq; animo opere exequi quoddam desiderium quod ei idem Dominus suggererat, mortificandi scilicet inane gloriâ in materiâ literariâ. Incepit enim studia Philosophicæ cum magnâ opinione ingenij, & magna capacitatis indicio. Cumq; valdè vexaretur à spiritu vanitatis, dabat operam vt non negligens ipsa studia, quantum meriti debebat occasiones quæreret ex quibus alij existimarent ipsum parum scire & parum esse ingenij. Querebat sepe, quod sciret benè, sed quasi illud non intelligeret, ad primam sui argumenti responsionem tacebat, quasi nihil haberet quod amplius opponeret, non contendeat, quod alij, vt vicisse videantur, facere solent, nec proterere se opponere aliorum dictis & sententiis; libenter videbat illustriores & maioris honoris actus alijs deferri, sibi autem ipsi accipiebat, quod minus erat honorificum. Hijs & similibus alijs mortificationibus dextrè factis, alijs non aduertentibus ex industria fieri; amisi aliquid opinionis & ingenij & eruditionis suæ: apud Deum tamen magnum sibi Religiosi viri nomen comparauit, quod remuneratus est, admittendo illum ad suam dulcem familiaritatem, seq; illi in oratione varijs modis communicando cum magnâ suâ quiete & solatio. Hucusque P. Ludouicus de Ponte. Non est autem mirum euectum esse à Deo hunc Patrem, per confusionem ab eo quæsitam, ad donum orationis altissimum, quia Deus etiam in hac vitâ exaltat humiles. Est enim neruus humilitatis, Sapientia cauta occultatio, vt ait S. Ioannes Climacus.

gr. 25. fin. de vita solit. col. 20.

Et, vt ait S. Bernardus, *Perfecti quique & spirituales, cum ad firmamentum & robur virtutis suæ, per virtutè obedientia & subiectionis, perueniunt premunt se semper ac deiciunt in id, quod insipientium est: & vnde infra se descendunt, inde ascendunt supra se, & humilando se, magis proficiunt, propter frequentes & sublimes excessus contemplationis. Ad quas nil minus cogitantes, etiam tirones in obsequio Dei, quâdoque euehuntur ob heroica confusivæ humilationis facinora. Quod sic pulchrè explicat S. Bernardus, loco citato: Nonnunquam, inquit, pura orationis affectus, & bona illa orationis suauitas, non*

inuenitur, sed quasi inuenit eum non petentem, & quasi nescientem gratia prouenit, & tanquam genus seruorum recipitur in mensa filiorum, cum rudis adhuc & incipiens animus in eum orandi assumitur affectum, qui pro premio sanctitatis reddi solet meritis perfectorum. Et hoc modo paulò post, tum tirones aut proficere, tum veteranos per humiliationes & confusiones, magis conuenientes tironibus: Illi verò passeres Dei (id est tirones & imperfecti) sursum nitentes ad ea, quæ sunt perfectionis, non elationis presumptione, sed pietatis amore, in paupertate spiritus sui sublimati, non repelluntur vt elati, sed suscipiuntur vt deuoti; & aliquando hoc merentur experiri, quo spirituales frui, & semper affectant imitari eorum vitam actiuam, ad quorum ambiunt consolationem contemplatiuam. Sicq; vno spiritu, licet non vno gressu gradientes, aquè proficiunt, & spirituales in humili, & incipientes in sublimi.

Octauum Exemplum suppeditat nobis P. 19. Bernardus Colnagus, mihi intimè ante annos 40. Romæ familiaris, de quo eò multa, & à Domesticis, & à sæcularibus audire admitanda, præsertim à duobus Romanis Nobilibus, quos Exercitijs spiritualibus in Nouitiatu Nostro Romano circa annum Christi 1602. excolebam, quorum alter Gaspar Ruiz, mihi tunc dixerat, & hoc ipsum Romæ iterum mihi confirmauit anno 1630. contactu manus P. Colnagi repente in pectore suo sanatum fuisse fatidum vlcus, quod instar cancri pectus exedebat, alter verò Leo Gallus (quorum vterque dum hæc Olomucij scribo anno 1636. adhuc viuit) prædictam sibi esse à P. Colnago cuiusdam inimici sui mortem, & postea intra dies aliquot inopinatè subsecutam, & à P. Colnago antequam humanitus quicquam is rescire potuisset, agnitum diuinitus, & eidem significatam. Ego hæc occasione vsus, fretus familiari confidentiâ, inquirere cœpi à P. Colnago, an hæc quæ de gratis gratis datis, & de alijs dicebantur de eo, vera essent & quâ ratione Deus hæc & alia maiora sua dona, valdè rara, et communicasset? victus ille meis precibus, secutus exemplum S. Pauli Apóstoli, Francisci, Thomæ Aquinatis, Bernardi, Ignatij, Teresie & aliorum, narravit totam vitæ suæ feriem, & penè innumerâ miracula manifesta, & omnis generis prophetias sibi diuinitus concessas, statim, postquam vicerat magnam, quam in se diu sentiebat, naturæ repugnantiam, ad ferendam per plateas vestem læceram, & ex centonibus confutam, ad quod se interius sentiebat impelli. Cum enim facta sibi potestate à P. Pectro Antonio Spinello (viro sancto, & similibus confusionibus addicto) tunc Rectore Neapolitani Collegij, induisset hanc vestem, & præcipuas ac frequentissimas Verbis Neapolitanæ plateas circumiisset, cum magnâ sui confusione & pudore, quippe multis in eâ notus, & tunc publicus Theologiæ Professor in nostro Collegio Neapolitano, & ob vestis illius sordidæ ge-

stationem, verè ad insaniam redactus à nonnullis rerum spiritualium ignavis iudicatus fuisset, & hoc eorum de se iudicium, ab eorum ore prolatum ipse audiuiisset, Deus copiosissimè ab eo tempore suis eum virtutibus ac donis ornare & honorare cepit. Ita confusio nostri est Deo accepta, & eius studiosis proficua. Nam, ut ait S. Iohannes Climacus, Gaudet Deus cum nos, conterendæ vanissimæ elationis causâ, promptè videt ad ignominias currere. Patat autem humiliusmodi certamina superna peregrinatio: magnorum enim reuera est, pati suis esse ludibrio.

Querunt aliqui cur ob eandem culpam Maria leprâ multata est, non Aaron? Respondet Saluianus: *Maria supplicio afficitur, ut Aaron confusione mulctetur.* Lepra corrosit Mariæ carnem, confusio Aaronis mentem, & corporis præcordia. Sic Deus populum dilectum, quem gladiis hostium deleri noluit, confusione captiuitatis puniuit ob scelera. Ezech. 16. 52. *Tu porta confusione tuam. Suffundere maluit* ( pudore & rubore iniecto) *hominis sanguinem,* inquit Tertullianus, *quàm effundere.* Magnum tormentum confusio. Vnde Seneca ita scribit: *Cum homini probo ad rogandum os corruat, & suffundatur rubor, qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus.*

l. i. de gubern. D.  
in Apolog. adu. gent. c. 4.  
l. 2. de benefici. c. 1.

Onitro plura similia exempla aliorum, adhuc videntur, quos in Italia noui, quorum quæritas confusiones sui heroicæ, *Scaturiens illa Dei beneficentia* ( uti eam appellat S. Chrysostomus) non heroicis tantum virtutibus in altissimo gradu, sed gratis quoque gratis datis copiosissimè remunerati dignata est. Adferam tamen infra alia exempla.

#### CAPVT QVARTVM.

##### Alia Exempla confusionis Sanctorum.

Sed quod Tirones in talibus sese exercent, Smitum non est, magis mirum vitos mature sanctitatis, hæc confusionis exercitia adamasse, ductos desiderio maiorum meritum, & amphoris in virtute profectus. Sic David sæpè suos defectus describit in Psalmis: *In iniquitatibus conceptus sum, egenus sum, & pauper, mendicus, vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis: peccatum meum contra me est semper.* Ob hanc spè spiritualis profectus in humilitate, & aliis virtutibus omnibus sæculi Sancti, publicis mortificationibus sui confusionem quaeruerunt, ut Simeon ille, Salus, siue Saloni, & alter in Præto spiritali, & alij quos commemorat noster Pater Raderus. Hoc spiritu ducti posterioribus sæculis idem fecerunt alij Sancti.

20.  
cap. 116.

S. Ambrosius lupas domum adduci curauit, ne in Episcopum eligeretur ( quod sine magnâ sui confusione non fuit ) ut ex antiquis monumentis confirmat Baronius.

An. 374.

De B. Timotheo quodam scribit S. Isidorus Pelusiota, quod cum sincero virtutis studio flagraret, aduersus eam gloriam, quam obtinebat, perpetuò dimicabat. eam videlicet admirationem, quam ipsi priores actiones pepererant, posterioribus actionibus obcurans.

Carolomanus Pipini Francorum Regis frater, factus Benedictinus, iussus est pascere oues Monasterij, quas educebat & reducebat. De Adolpho Holfatiæ Comite, scribit Albertus Crantzius, eum relicta filijs Toparchie ingressum Ordinem S. Francisci, ire solitum ostinatij in Oppido suæ ditionis, emendando lac ostiatim à suis subditis, & cum ferret lac in hydriam, & media platea filij cum magno comitatu, in equis occurrerent, aliquid humani passus, dum rubore perfundi inciperet, hydriam supra caput euerit, dicens in se: *Hic erubuit Christi pauperem baiulans lac in manibus, nunc vel in capite ostendit quid portaueris.* Beatus Lanfrancus vir omni literaturâ egregiè imbutus, hic cum in cœnobio lectorem mensæ ageret, & ab Antistite illiterato, idque contra Grammaticæ leges repetere lecta iuberetur, promptissimè repetit, & pronuntiauit omnia, ut iustus fuerat. Ornamento scilicet sibi duxerat stramineum hoc fertum: nec pudebat optimum virum Christi causâ pudore affici.

Martinus Delrius parentibus nobilissimis oriundus (quis fuerit vir iste, tot ipsius libri loquuntur) ubi Theologiam aliquot annis apud Eburones professus, Tornacum ire iussus est, ut ex legibus quibus se voto obligarat, non nihil temporis ad quietem sacræque commentationes à studiorum tumultibus subduceret. Hic ille rerum Philosophi Theologumque exuens, inter religiosos tirones abiectissima quæque munia obiit, & etiam ambiit. Lacerat interdum & squalidâ laceratâ indutus æconomum comitabatur; & quæ ille in foro emerat, per mediam urbem spectante omni populo, ad Collegium deferrebat. Senatorius & Censorius baiulus, aliis admirantibus, aliis vicissim illudentibus. At ille stramineum hoc fertum non exhorruit, non reiecit, imò decorum sibi credidit. Post annos complures in Societate Iesu positos, post cathedras Philosophiæ, Theologiæ, Concionum cum magnâ laude diu administratas, id vnum præ reliquis, domesticis omnes in eo stupebant tantum virum, oculis caligantibus, & penè cæcotentibus gnauiter & prompto libentique animo, dū alij mensæ afficerent, stantem aut in loco anagnostæ solito incommode sedentem, librum aliquem pitium de more prælegere, & ad alterius arbitrium accensus, & topos, vel inuertere, vel dirigere. Stramineum fertum Delrius obuis vlnis amplexus, hoc vnam in se ipso erubuisse, si vel senex erubescere noluisse, inuicem omnes oculi viderunt. Eandem ob causam Sancti, etiam sua peccata pro-

15

propalabant. S. Augustinus narrat furta sua, quæ faciebat de cellario Parentum, & de mensa, & in ludo fraudulentans victorias, & vanæ excellentiæ cupiditatem. Et iterum fulius recenset furta pomorum ex hortu commissum, fastidio iustitiæ, & sagina iniquitatis. Et iterum, ait, in illo furto nihil se amasse, nisi ipsum furum, & in illis pomis furto sublati se non sensisse voluptatem (sed in ipso facinore) quam faciebat confortium simul peccantium. Et accusat adolescentiam suam in ardore libidinoso consumptam idem repetit lib. 6. c. 11. & 12. S. Bernardus multos suos defectus recenset. De S. Basilio scribit Cassianus li. 6. in tit. cap. 19. eum dixisse: *Mulierem ignoro, & virgo non sum.* Cur id? Quia epist. ad Chilonem suum discipulum sic scriptum reliquit: *Flagitium vitæ fornicationis, at munditiæ virginis strem arcanâ cordis cogitatione sedauit.* S. Ephræm passim in suis Opusculis sua peccata nominat & deplorat, tum commissa in adolescentiâ, tum in proeclatâ ætate. S. Nazianzenus de se ipso scribit, se mente virginem non esse. S. Franciscus suam publicè gulositatem, etiam non veram, manifestauit à morbo sanatus; apud S. Bonaventuram in vitâ, S. Hieronymus Epistola 43. ad Chromatum & Eustebium, nominat sua scelera, & apertè fatetur se in lubrico adolescentiæ itinere lapsum esse, & se à Nabuchodonosore ad Babylonem in confusionem mentis suæ catenatum ductum, ibique sibi captiuitatis iugum impostum. Et epistola 1. ad Heliodorum se ob luxuriam naufragium passum. Et rescribens Apologiam ad Pammachium pro suis contra Iouinianum libris, apertè ait, se virginitatem, quam tantoperè commendabat, non habere: se illâ carere, idque se ingenuè & verè eundè confiteri. Quippe, vt Marcianus Victorius in eius vitâ obseruauit, ante Baptismum eam perdidit, sed post Baptismum Romæ susceptum castè vixit. Et sic intelligendus est scribens ad Eustochium, se virginitatem seruare. Sic Serapion furtum quotidianum diuitiarum coram hospitibus & suo Abbate detexit. S. Anselmus deplorat amissam virginitatem. Eodem spiritu ducti alij, multò antè, sui confusionem quærebant, & eius oblatam occasionem amplectebantur.

Narrat S. Ioannes Climacus se in quodam Monasterio vidisse quendam latronem conuersum, dum petiisset recipi ad vitam Monasticam, iussum à Præside Monasterij sine vllâ cunctatione, prius ipsi soli promptè confessum, quidquid in sæculo iniquè operatus esset, deinde in Ecclesiâ coram Monachis ducentis & triginta vincum post terga manus, asperriuog, cilicio amictum, conspersumq, cinere caput preferentem, à quibusdam Fratribus tractum, modiceq, verberatum, hæc ipsa singulatiim & per species dixisse: non tantum quia per corpus præter naturam ac secundum naturam in irrationalibus, & nutis animantibus deliquerat; verum

etiam veneficia, homicidia, & quæ audire & scripturæ tradere fas non est, omnino nihil reticuisse, & ita Fratribus aggregatum, prius tonsam. Cum autem Ioannes Climacus seorsum Monasterij Præsidem interrogasset secretius, cuius rei gratiâ tam peregrinam Iudicij formam exhibuisset, respondit. Duarum rerum gratiâ se id fecisse, tum vt nonnullos ad confessionem hoc exemplo prouocaret, qui peccata necdum confessi erant, & sine confessione remissione eorû potiri non poterunt, tum, vt conscientem per presentem temporalemq, confusionem, æternâ confusionem liberarem, quod & factum est. Neque enim ex paucamento surrexit, d. Ioannes, quin peccatorum omnium remissione potitus est. Neque vllò huius rei scrupulo moueatur. Nam vnus ex Fratribus, qui illuc aderam, mihi procerum quendam ac terribilem se vidisse asseruerat, conscriptam chartam & calamus tenentem, & cum Frater ille humi prostratus, peccatum confitens pronunciaret, hoc ille calamo debebat. Et mirè sanè: Dixi, inquit, pronuntiabo aduersum me iniquitatem meam, & in remissi impietatem peccati mei. Hæc sanctus Ioannes Climacus. Beata ergo illa est anima, quæ confusionis studio non erubescit extra sacramentale, & arcanum pœnitentiæ tribunal, sua manifestare peccata, quandoquidem per confusionem, quæ inde nascitur suorum potest cõsequi remissionem peccatorum. Quocirca, vt idem S. Climacus hortatur, iugiter nos ipsos damnare & accusare debemus, vt per vilitatem voluntariam, lapsus non voluntarios abiciamus & diluamus: sui autem aliâ, omnino in exitu nostro, à nobis horum exigetur ratio.

Eandem ob causam in studio confusionis Præter. spirit. enituit humilitas Abbatis Andrea Messenij, quem cum Senex quidam hospitio susceptum, dixisset furdè abfuisse numisma (quod ille senex vbi posuisset oblitus erat) Andreas, etsi innocens, pallio vendito pro numismate, prostratus illi veniam petiit, & dixit: *Ignosce, quia Sathanas decepit me, & accepi numisma tuum: quod tamen non acceperat.*

S. Brigitta sic de se scribit: *Ego indigna persona, l. 4. Recu- que à iuuentute meâ, multa contra te Deum meum c. 77. init. deliqueram. Eodem suæ confusionis desiderio c. 19. vitæ.* ducta B. Angela de Fulginiò, narrans doctrinas sibi diuinitus traditas, & varias tentationes demonis, scriptas extare voluit suas humiliações & imperfectiones, ad quas emulgandas impellebatur interitûs, hunc in modum: *Video, inquit, me cecidisse ab omni bono, & video me esse extra omnem virtutem & extra omnem gratiam, & video me domum diaboli, & operatricem & credulam demoniorum, & video me filiam eorum &c. Et est mihi clausus Deus & absconditus in omni pietate & gratiâ &c. vellem ire nuda per ciuitates & plateas, & vellem appendere ad collum meum carnes & pisces, dicens: Hæc est illa mulier vilissima, plena malû & simulatione, & seminatrix omnium vitiorum & malorum. Faciebam enim bona ad famam hominum, & faciebam dici omnibus qui inuitabant nos: Non comedo pisces, nec carnes, & ego etiâ plena gula & comestatione, & ebriosa*

& ostendebam quod nolebam recipere, nisi quantum sufficiebat mihi, & studebam esse pauper exterius, & vbi iacebam proiciebam multos pannos, & de mane faciebam eos leuari ne persona venientes hoc perpendere. Videat anima mea diabolum, & cordis mei malitiam, audiat quomodo sum hypocrita, & filia superbia, & quomodo sum deceptrix & abominatio Dei, & ostendebam me esse filiam Orationis, & ego eram filia ira, superbia, & filia diaboli. Et ostendebam me habere Deum in anima, & consolationes diuinas in cella, & ego habebam diabolum in anima, & in cella. Et sciatis, quod toto tempore vite studui, quomodo possem habere famam sanctitatis: & sciatis in veritate, quod propter malitias & simulationes, quae absconsa sunt in corde meo, multas gentes decepi & sum homicida multarum animarum & anima mea &c. Vos, qui dicti estis Filij, rogate iustitiam Dei, vt exeant demonia de anima mea, & manifestent iniquissima opera mea, vt non amplius vituperetur Deus per me, & nonne videtis, quod omnia quae vobis dixi sunt falsa, simulata & diabolica &c. Deurabam me verbis diuinis, vt essem honorata & adorata pro Deo. Et his similia plura alia de se narrat, & quandam tentationem secretam describit, adeo confundentem, vt me eam hic referre pudeat, legat qui voluerit eam in c. 19. vitae eius non multo post initium.

Eadem, cap. 2. vitae suae de se ait: Secundum incepti erubescere de peccatis meis, & erat tanta erubescencia, quod praereverencia non poteram confiteri peccata mea, vnde & multoties in confessa communicavi, & cum peccatis corpus Domini recepi &c.

S. Antoninus 2. par. chron. c. 2. tit. 15. §. 19. scribit olim solitam publicam confessionem peccatorum fieri a religiosis ad mortificationem.

Alia exempla similiter attulit. l. 1. c. 8. n. 61. Ob eandem causam B. Clara de Montefalco impetrauerat a sua Rectrice, vt quoties publice punirentur aliae eius sociae, ipsi quoque similis poenitentia eodem tempore peragenda iniungeretur. Quod seruauit omnibus illis annis, antequam in Abbatissam fuisset electa. Eandem ob causam per Oppidum eleemosynas conquirebat, ex desiderio confusionis.

Hanc ob causam P. Gaspar Barzaeus, vir notae sanctitatis, & a S. Xaerico praeclearo testimonio, & a Deo ipso rebus per eum praeclearis & cum miraculo gestis, commendata, cum esset Rector Collegij Goani in India Orientali, in trichinio e suggestu peccata vitae saecularis domesticis dixit. P. Realinus cuiuslibet Rectori nouo Lupiis, vbi ferè semper mansit, peccata suae vitae saecularis detegebat. Didicerunt haec ab Apostolo Paulo, qui de se scribit similia: Non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Et rursum: Prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus. Et peccatorum primus sum. Vnde S. Chrysolomus. Ea, inquit, sanctis consuetudo, quod perperam fecerunt rependunt, quotidie deplorant omnibusq; ob oculos ponunt, quod autem ingenium &

eximium, abscondunt, & obliuione transmittunt. Talis est hic sanctus noster peccata sua, vel nemine impellente perpetuo versat exagitatque. Hanc ob causam B. Aloylius Gonzaga, frequenter curabat suos defectus in trichinio publicari, & quamuis possit mentem Deo ita vnire, vt auditu non perciperet suorum commemorationem & reprehensionem defectuum, tamen data operam nolebat, cupiens eorum auditione, coram aliis confundi. Sic vidi in Collegio Romano sepe Patres summae auctoritatis, & qui gubernationis laude erant celebres idem factitantes: & nostrum Ioannem Berkmannum, hoc ipsum habuisse in more, ab eius familiaribus audiui. Quamquam eo processit quorundam Sanctorum confusionis studium, vt S. Climacus docet. Sicut modus est supreme superbia virtutes, quae non adsint, gloria causa simulare, ita fore altissima humilitatis argumentum, culpas quae istidem non adsint, in quibusdam rebus, vilitatis causa vel gratia confingere. Quod qui demum imitandum non est, quia medicij speciem & rem habet.

Sed videamus nunc alia publicarum confusionum exempla, quae habemus in historia Societatis, apud Orlandipum imprimis. Cum P. Simon Rodericus vnus e primis nouem S. P. N. Ignatij Sociis Conimbricam venisset, fecit satiam amplam potestatem, vt ad obtinendam animi sui victoriam, nonnulla in eo genere, quae prodesse etiam proximis gererentur. Atque vt pauca de multis; Ambrosius Ferreria, cum urbem amici permotus exemplo ad Societatem animum appulisset, iustus est periclitanda constantia causa per urbem mediam sine pallio pileoq; ipsa meridiana luce, cadaueris cranium praeferre dextra, atque hoc seculo, habitusq; in obuium templum ad preces faciendas tamisper subsistens, ad Patres recedat procedere. Qui dum libens obtemperat, & tota notus Vrbe, praesertim musica artis, canendiq; claritudine, per frequentissimam ciuitatem serali illo ostenso incedit, sibilis & conuiuiis excipitur, insequente a tergo velut amemem lasciuente puerorum turba. Tali experimento edito, Societate excipitur: haud vrorum indignus numero, qui stulti fieri pro Christo non abnuunt, vt sint sapientes.

Inbebat etiam Simon e sociis aliquos, nocturnis tenebris voces illas cum terrore iactare: Infernus, infernus, his qui mortifero vrgentur crimine; alios autem eleemosynam tyris emendicare lacernis: quae res vt noua, & ad id tempus inusitata, sic ad incutiendum ruborem valuit plurimum. Quosdam vero primis se intendentibus tenebris, mittebat foras, vt mediis in tenebris compitissis, edita voce clamarent: Heu! heu! peccatores a peccando iam desistite, moriendum cum sit vobis.

Et describens nostrorum Conimbricensium mortificationes publicas ait: Ioannem Aragonium cerneret pueros inter orbos viis publicis caulis arere: Franciscum V. aeram Conimbricam profectum, pannosum & scrutis obvolutum, nulla oris animiq; mutatione. Olfactum intrare: suam, vultu coloreq; in caelum hominum

Bapt. Per-  
gilius 1.  
part. vit.  
cap. 7.  
ibid. c. 11.

se inferere, versariq; cum iis, quibus antea notissimus erat & quos sua disciplina habebat addictos, perinde, ac si splendido aliquo mirdog, cultu fulgeret. Alios autem plebeio lacerog, indutos amictu, cistam gestantes in manibus obsonatorem domesticum sequi: quosdam verò cùm in publicam prodeundum esset, ad vestiarum teleri cursu tendentes, contemptissimum quodque vestu genus, omni conquisitione delectum, arripere. In huius Nobrega (is qui postea missus est in Brasiliam Sociorum Præses, ut scribit Orlandinus, & Provincialis Brasiliæ declaratus est) foras animarum causa mittendus, perquisitis sibi cum socio brevioribus quibusdam lacernis, quæ genu vix tangerent, palliisq; ac galero omni vetustate contritis, tam lætus alacerq; pedestre illud ingressus est iter, ac si ad agendam lætæ diem, & iucundas quasdam epulas vocaretur.

Hos ardores, inquit ibidem idem Orlandinus, ponderosa plenaque sapientia de studio perfectionis Epistolâ B. P. ab Vrbe laudauit. Sed præstat ipsum S. Patrem audire scribentem: Neque putetis velim, displicere mihi aut suam apud me laudem non obrinere, quod de vestris per literas mortificationibus, accepimus, siquidem non me præterit, Sanctos olim sanctas id genus infamendi rationes, præsertim sua conuersionis initio, magno suo fructu, & progressu virtutis, ad sui victoriam, & maiorem virtutis acquisitionem, adhibuisse Sanctam infamiam id appellauit, phrasi Apostoli, qui dixit: Nos stulti propter Christum. Et, quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. Talem infamiam cum Rhetore Græco Eunapio appellare possumus auream infamiam; cum Sancto Ambrosio veram infamiam, quæ tamen magna sapientia sit, cùm in mundanis sint falsæ infamiae, ut ait Pfaltes.

Idem Orlandinus tradens rationem, quâ S. P. Ignatius Nouitios exerceri volebat, hæc scribit: Nouitiorum animus atque constantia variis exquisitisq; rationibus tentabatur, ac præter menstrui spatij solitudinem in contemplationis Diuina recessu, iubebantur ad conterendum animi falsum, necandamque superbiam, modo plateas & celeberrima vrbs loca mendicorum instar obire, modo ex improviso desides in turbas conciones habere, & alia quoque exequi duriora perpeisset, quæ ad posteros transfusa, deinceps ad hanc vsque vsurpantur etatem.

Et fusè recenset publicam, per præcipua ciuitatis Conimbricensis loca, Rectoris Collegij diuerberationem, & aliorum Sociorum, institutam ad ædificandum populum, si quem multorum à Societate eo in loco defectio offēdisset.

Huc spectat præclarum exemplum Ludouici Medinæ, Nouitij nostri, apud Franciscum Sacchinum: Præerat Collegio Placētino Martinus Guiterius, qui vt mediocri, nec sua nec suorum virtute erat contentus, & robustam Tironis videbat alacritatem, multa eū liberaliter indulset, per quæ militarem iactationem atque feraciam, omnino sub Christi iugum mitteret. Nā publicè fuit per vim pallio tunicaque exutum incedo-

re. Ad lanios emptum obsonia, instar mancipij, in forum ad raphanos vendendos mittebat. Iumenta etiam quadam in mercatu venalia duxit, & alia duo agens plus 50. leucarum iter solus consecit, vt ipsum pro Christo verum ac militem ad eū nobilem, factum iumentum agnosceres.

Similia de S. Patre scripta reliquit in Diatio P. Ludouicus Confaluis, Minister Domus Professæ Romanæ tempore S. Patris. Cùm esset ingressus in Societatem maturâ ætate P. Araoz, postea celebris in Hispaniâ Provincialis, mittebatur à S. Ignatio in sæculari, in quo intraterat, vestitu sericeo, saccum humeris iniectum portans, vt in publicis vrbs plateis mendicaret. Eodem modo vestitus iussu S. Ignatij lauabat scutellas in publicâ viâ. Sic dum Præfectus primariæ arcis Neapolitanæ Societatem esset ingressus, & venissent ad eum in culinâ muniis occupatum alloquendum Nobiles quidam, iussit eum S. P. euocari e culinâ holosericeo thorace sæculari vestitum, sed pallio nostro & Nouitios vsitato tectum attrito & semilacero.

Idem P. Ludouicus Confaluis ibidem scribit, pulsum fuisse è Societate, idque noctu dormientibus iam omnibus, quendam Franciscum Lapatum Toletanum, in sæculo diuitem & officio publico illustrem, hanc solam ob causam, quod intellexisset eum improbasse vsitatam tunc in Societate publicam mortificationem cuius causa mittebantur à S. Patre etiam primarij Patres ad habendas conciones in publicâ plateâ, in quâ histiones & nugiuenduli, lucri causa, faceret suis & ridiculis declamationibus, vulgum oblectare solebant. Cùm verò Romam venisset cum P. Natali, P. Gaspar Loartes, Sacerdos & bonus Concionator ac Doct̃or, qui aliquot annis in Hispaniâ Theologiam docuerat, deuotus & spiritalis, iussit eum S. P. valde mortificari à P. Ludouico Confaluo Ministro, qui tum aliis modis per se iussu S. Patris tum per Nouitios eius confusionem procurabat, & quidem tales qui maximè eum confusuri sperabant. Inter alios quidam Nouitius tentatus factus Tororum præfectus, tonos à Loarte fieri iubebat, qui dum ascendisset suggestum, iubebat eum descendere & gemitibus flexis tonos recitare, & terram ac pedes ascantium osculari, & vt tonos nunc hoc, nunc alio modo proferret, & vt ea quæ dixerat reuocaret: quod sæpè faciendo, & alias adhibendo inuentiones, ita confundebat hominem, vt instar pueri maturus Sacerdos flere cogeret. Tandem sic confusionibus exercitatum per Ministrum & per se ipsum, tum priuatim tum publicè (iussit enim eum in Rectorio suas clarâ voce tentationes detegere, & aliorum pedes osculari) agnitâ eius magnâ virtute, præfecit eum S. Pater regendo Genuensii Collegio, postquam prius Romæ Ministri & vice: Ministri officium obisset.

Etat ipse nostros P. Sodeuilla Theologus,

pro

pro viro spirituali inter primos habitus, sed dictamina fouens spiritus, aliena profus à nostro procedendi modo, quibus tamen nonnulli è nostris occultè adharebant. Hos inter fuit vnus Belga Petrus Syluius ( postea magnus in Societate Theologus & vir eximius) qui P. Sodeuillæ vsus consiliis, adèd imaginationem rebus spiritualibus fatigauerat, vt & vsu linguæ, & penè mentis diu caruerit. Quod vbi intellexisset S. Pater, iussit datà operâ parari alas, quibus in comœdiis Angelos representantes vti solent, iis paratis tam in Refectorio Domus Professæ Romanæ, quàm in Collegio, iussit P. Sodeuillam cingulo tenuis vsque ad verticem penitus denudatam, alas illas tergo alligatas circumferre, & se flagello cedere, hæc verba ingeminando: *Noli volare sine ali: noli volare sine ali.* Quod vbi perfecit, è Societate eum expulit. Extra quam constitutus, vti erat vir aliqui pius, cum iterum recipi ad Societatem petiisset, iussit eum S. Pater per quatuor vel quinque menses, maioris confusionis ergo, pauperibus in nosocomio seruire, & tandem recepit benè emendatum, & probatum, tantumque ei deinde fidi, vt eum non multò post Ministrum Domus Professæ Romanæ constituerit. Cum quatuor ex Collegio Romano iussent ad visitandas 7. Ecclesias, & quia nonnisi sub occasum solis domum redituri erant, aliquid ad comedendum sumpserunt, ac in medio itinere comedissent in campo quodam, re cognitâ S. P. iussit Superintendentem Collegij, & Rectorem ac Ministrum, & Subministrum, & omnes eos Officiales per quorum manus transferant illa, quæ ad comedendum & bibendum quatuor illi acceperant, cum iisdem quatuor circumire refectorium hoc ordine. Quilibet eorum aliquid portabat in manu, quo suam exprimebat culpam. Exempli gratiâ Præfectus Refectorij portabat panem, dispensator piscem, alter nuces, cultos vestium mensæ linteolum, Superiores verò res alias maioris confusionis. Cum ergo hac ratione circumiussent refectorium iussit sunt parua mensæ omnes accumbere, & ibi publicam reprehensionem audire.

Ordinauerat S. Pater, vt Alumni Collegij Germanici Italicè loquerentur, tum vt ad Romanam Ecclesiam afficerentur magis, tum vt sciri posset à Moderatoribus Collegij, quæ esset sermonis eorum materia. Hoc indignè ferentes Alumni communi consilio omnes Collegium deserere decreuerunt. Quod cum intellexisset S. Pater à P. Andrea Frusio, cum domesticis cõtulit de remedio, inter eos etiam P. Madridi, magni consilij virum, ante paucos dies in Societatem receptum, adhibuit ad consilium. Cum ergo non multò post tumultus Alumnorum successisset, & P. Frusius P. Madridium de bono successu & sine non reddidisset certiore, sicut reddiderat de tumultu, S. P. aduocatum P.

Frusium coram domesticis, eam solum ob causam, quam retuli, acerrimè reprehendit, iussitque adire P. Madridium fabrici murariis assistentem, eiusque pedes cunctis spectantibus osculari, & ad maiorem confusionis materiam in Refectorio Collegij Germanici, coram ipsis Alumnis, quorum tunc P. Frusius erat Rector, & coram 200. qui tunc ibi numerabantur conuictoribus, per plures dies ad paruum mensam comedere. Huc referendum est quòd sæpè S. Pater publicis reprehensionibus nostris, etiam Sacerdotes, ad maius confusionis meritum, à Coadiutoribus & Laicis publicè cunctis audientibus exagitari iusserit, non à Sacerdotibus, vel clericis, aut scholasticis, vt ita dicerent pro Christo confundi magis ac magis, & politicam prudentiam sacrâ stultitiâ atterere, ac rubore vultus & mentis laudes, applaususque calestes presare. Ex quibus exemplis apparet conformem esse Ignatiano spiritui publicarum confusionum exercitacionem.

Extant & in vitâ P. Baltharis Aluarez egregia specimina confusionis & humiliationis, edita à Francisco Cordubense fratre nostro, filio Ducis Cardonæ & Segoræ, Marchionis Comarenis, qui, vt scribitur in vitâ P. Baltharis Aluarez cap. 30. pag. 347. & seq. cum Salmantice Philosophiæ daret operam, *tegebat quocquid alicuius honoris occasione ipsi adferre posset: offerere autem se ad omnia quæ maioris contemptus sui causa esse possent: & prudentiâ quadam plus quàm humanâ, cum hoc faceret ad se humiliandum & abiciendum, ita rem dissimulabat, vt non aduerteretur ea ipsum facere ex virtute & studio, sed quasi nesciret aut non posset aliter facere, vt eò magis contemneretur.* Ideo obibat libenter culinae officia, etiam dum studebat, impetratâ ad id facultate diebus festis, & diebus hebdomadariæ recreationis. Curam quoque bestiarum & inmentorum Collegij Salmanticensis, in quo studebat, libenter suscipiebat, & pabulum & reliqua necessaria illis ministrans. Et cum impetrasset, vt haberet curam cuiusdam equi vlcerosi & læsi, prout quodam conducto, vt ibi equus aliquantulum maneret, petiit facultatem vt eò deduceretur, & concessa est in eo sensu, quòd aliquis domesticus famulus duceret, sed ipse tantam videns se humiliandi opportunitatem, accepit gulerim & pallium detritum, assumensque plenum, & magnam quandam vacerram sub brachio & funem, & bonam copiam stupa in manibus & equum ex capistro: ac deduxit per mediam ciuitatem cum prædictis instrumentis, ita detectis vt omnes viderent: transiit propter Vniuersitatem eo tempore, quo multi Collegiales ex scholis exibant, qui omnes subsistebant aspicentes & stupentes, tanta nobilitatis virum, & eiusdem Vniuersitatis aliquando Rectorem, ita ambulare, cum tanto gaudio & vultu iucundo ac subridente. Hac igitur ratione, equum illum duxit ad pratum, cum insigni triumpho de vanitate & pompis secularibus, & cum maiore gloria, quàm Imperatores de suis hostibus per totam

totam urbem triumphare consueverant. Superior cum id intellexit, reprehendit eum, quod eam viam tenuisset: sed vir sanctus, qui singulari arte & gratia sua humilitatis actiones regere nouerat, valde pacatè illi respondit: Mi Pater. Ego quia valde sum ignauus, cogitatus, quã viã rectius & breuius ad talem locum ire possem, & idè talem elegi. Sed vltèrius progressa est eius humilitas. Nam cum presantissus esset ingenij & præclari iudicij simplicem se tamen faciebat, & studio stulta aliqua dicebat, vt talis haberetur. Cum deberet in trilinguo concionem habere, pro more Fratrum studiosorum, mouit in ipsa concione dubium, circa quoddam punctum vite illius Sancti de quo erat concio: dixitque duo exemplaria librorum, qui inscribuntur FLOS SANCTORVM in eo puncto dissentire. Et cum respondendum esset quid ipse de eã diuersitate sentiret: Ego verò accedo ad exemplar FLOS SANCTORVM Cesar- Augusti excusum, eò quod characterem habeat crassorem, & melius illum assequar. Et quamvis Auditores subserferent ipse valde pacatus mansit, quasi iudicio suo vltèrius progredi non potuisset, sed ita locutum sicut reuera sentiebat. Et vt magis ipse in humilitate exerceretur, permisit Deus, vt quidam ex studiosis non intellexerit spiritum quo serius hic Dei dicebatur, sed persuadens sibi, eum reuera ita esse simplicem, atque præferebat: idè valde ridebat, eumque actiones quas stultitias irridebat: tribuens illas intellectus hebetudini & ineptitudini: nec in eius præsentia ab huiusmodi irrisio-nibus abstinerebat. Sed Franciscus verè humilis, commodam hanc in humilitate proficiendi, & simul charitatis exercende occasionem non prætermisit: sed studebat diligenter ei indulgere, eumque honore afficere, à quo ita contemnebatur. Nam cum ipse mensè ministraret, curabat optimum ferculum, quod ferebat, et porrigere, & quando ad quotidianam recreationem se conferebat, aut ad hebdomadariam, cum exeundum erat ad campos, semper Franciscus ad Fratrem illum accedebat, vt alicuius contemptus occasionem captaret. Et cum eius Professor P. Ouedus id obseruaret, quasi ab eo, quid hoc sibi vellet, quòd semper accederet ad illum Fratrem, totque daret induta singularis cum eo amicitie, non sine notã alicuius singularitatis: Et cum valde illum vrgeret, vt facti sui aliquam rationem redderet, quia sibi persuadebat, id non fieri sine aliqua mysterio: tunc Franciscus respondit, causam eam esse, quòd Frater ille, & bene eum nosset, & pro meritis tractaret: at R. V. inquit, & ceteri multum me honorant, quasi ego aliquid essem: quod nullum mihi adfert emolumentum: at iste Frater, melius me agnoscens, eo loco me habet, quem ego promereò, irridens me & res meas: & hoc plurimum mea refert; ac propterea cum eo mihi mererè agendum, vt soleo. Quo responso, obstupuit eius Professor profundam sui discipuli humilitatem. Aliud quiddam Magistro ac discipulo euenit, in quo etiam suam humilitatem valde manifestauit. Nam cum diebus Dominicis Quadragesime ad pagum quendam duobus milliaribus Salmanticã distantem concionatum irent, & quidem pedres paulatim ambulantes, Pater ipse concionabatur. Franciscus verò Christianam doctrinam rusticos docebat, coniungebant se autem pue-

ris multi viri & famine, & serè pagus totus ad vespèram, fecitque in eo extraordinarium fructum, tantumque amorem homines illi in eum conceperunt, vt ad sequentem postea Quadragesimam peterent mitti ad se eosdem Patres, vt bene illi facerent, quemadmodum in precedenti Quadragesimã fecerant. Post paucas Dominicas ex rumore quorundam studiosorum, qui Salmanticã ad eundem pagum excurrerant, cognouerunt, qui esset Frater Franciscus: ac propterea omnes inceperunt magnum ei honorem exhibere, imò aiqui Dominum Illustrissimum compellere ceperunt. Grauisimè hoc ille tulit, magnaue dexteritate conatus est hanc illis opinionem eximere, dicens se fuisse cocum & agricolam, & quòd posset ipsos de agricultura examinare. Sed cum hoc non sufficeret ad illam opinionem deponendam, & cessandum ab honore magno ei exhibendo; inlatus ipse apud suum Professorem, ne amplius ad illum locum ipsum duceret, & apud Superiorem, ne mitteretur: quod tandem concessum illi est, ne affigeretur. Maiorem enim ipse molestiam sentiebat, quòd videret se in honore haberi quàm homines seculares sentiunt, quòd honore sibi debito priuenter. Deinde cum esset in tertio probationis anno sub disciplina P. Barthasari Aluarez, ad eò sui confusionem quesuit, vt etiam mortem, nolens, sibi acceruerit. Nam eius mors occasionem accepit, ex quadam insigni mortificatione, quam, vt se humiliaret, fecit. Intellexit enim quendam Fratrem mitti Viennam, vno milliare à Villagarzia, emptum aliquos nefrendes, siue porcellos domi postea nutriendos. Statim ipse ad hoc onus se obrulit dicens, se huius rei magnam peritiam habere (quod semper dicere solebat, cum materia erat vilis & contemptibilis) petuit ergo facultatem Fratrem illum comitandi: & in reditu, cum vnus ex porcellis defatigaretur, Pater illum super humeros ad collum accepit, quem admodum pingi solet. Pastor ille Euangelicus, qui perditam ouem inueniam, ad caulam portauit: & quem admodum fecit Carolmannus Monachus in monte Casino, dum conuentus gregem custodiret omnibus obstupentibus, quòd qui ad eò magnus fuisset in mundo, eò se demitteret, vt ouem super humeros portaret. Cum igitur porcellus sit res adhuc vilior, non paruam adfert admirationem, quòd vir ad eò aliàs nobilitas, & qui fuisset Salmanticensis aliàs Vniuersitatis Rector, & inter nos ipsos Sacerdos, qui tanti fieret, illum in humeris portaret. Statim at quo ad Collegium peruenit, cepit ex non coctis lateribus has extruere, in quibus eos custodiret, dabatque illis cum magnã curã certis horis ad comedendum. Et quia tempus erat valde calidum, sol caput eius lasit, ex quo febres sunt ortæ, quæ valde illum vruebant, & vt ipse dixit mihi, absque viliã comparatione maior erat æstus internus, quàm exterius appareret. Morbus ita creuit, vt die vndecimã vitam finiret, Sacramentis omnibus magnã pietate susceptis; mortemque ipsam accipiens cum magnã sua voluntatis cum Diuinã conformitate, quam semper habuit toto tempore quo vixit in Sacerdote.

P. Thomas Sanchez notæ sanctitatis ac doctri-næ vir, tanquam oraculum quoddam Hispaniæ celebratus, vt se confundere per ciuitatem

tem Cordubensem patriam suam, in uerso pileo iuit, & absque chlamyde amphoras aquarum ad carcerem tulit. P. Martinus del Rio Doctor Lurris, post libros doctissimos in lucem editos, post supremum Brabantiae Senatam Philippo II. iubente gestum, post alia splendidissima officia Societatem ingressus, absoluto Nouitiatu, annum 32. agens, Philosophiam ab initio inchoauit Sacerdos tandem. Tornaci saepe attrita ac lacerata ueste indutus oeconomicum comitabatur, & quae ille emerat ad Collegium stupente ciuitate deferrebat. Solitus erat ad mensam legere, ac iustis statim repetere, si quid male protulisset, etsi ad eos profecerat in humanioribus literis, quemadmodum eius in Senecae Tragedias commentarij, & libri alij editi, testantur.

Sacch. 2. p. histor. l. i. n. 129. 130. 134. 135.

P. Franciscus Villanoua Complutensis iam Collegij Rector, & sanctitate notissimus, in humilibus culinae officijs tanquam pristini memor voti propere assidue uersabatur ac dicebat, qui se Rectorem esse iusserant, parum uidisse ad quid maxime esset factus, se potius ad culinae ministeria, quam ad regendos homines naturae atque aptum fuisse. Rudi tunicula attrita, & curata cum assidue ueretur, staturaque pusillus, ore plus satis fusco, totus denique male a natura ornatus nihil haberet spectabile quam uirtutem animi, sui, contemptum: e culina alijsq; manuum operibus ad viros doctos & graues euocatus, saepe ita, ut ferebat ministerium, sordidatus prodibat: nec principio admirabantur illi solam, sed quodam pudore suffundebantur. At Villanoua dicebat, his occupationibus immorari se non uirtutis causa, sed quod ea sibi apte quadarent munera: suum patrem, auum, maiores, ita uixisse. Erat enim humili stirpe: quod nullo loco cunctanter ille profitebatur. Quin etiam Placentia cum Episcopo, qui Collegium extruebat, dum adificationem spectat, animaduerso non satis calcis per inopiam aquae suggeri fabris, ad Franciscum uersus, dixisset, nonne esset ad manum qui posset iumentum agere, & aquam, & si quid aliud est opus asserre: Est, inquit Villanoua; commodum hic Frater meus aduenit, is recte istud muneris exequitur. Obsupuit Episcopus solidam humanae auae desipientiam: Et ait, Non deerit isti domi meae, quod agat. Sed Villanoua confirmauit non esse hominem ad alia idoneum, pernicitq; ut publice Martinus Tamon (hoc erat ei nomen) Rectoris Villanoua germanus, asellum agens, diu cerneretur. Atque hunc non contemptum, sed uerum fuisse germani amorem demonstrauit euentus. Breui enim Martinus Deo iuuante perfectionis amore captus, & in Societatem adscriptus, magno cum uirtutum exemplo annis in ea compluribus actus decessit. At Villanoua non sponte solum ad sui desipientiam intendebat, sed pari alacritate quod non perinde multi faciunt, oblatas iniurias sustinebat.

Cum elementis Dialectica nauaret operam, condiscipulus ex externis, nescio qua eius uoce offensus, excanduit, atque, ut erat ardens ac manu promptus adulescens, nihil tale expectanti Villanoua colaphum impugit. Hic repentinum factum admirans, ubi aliud nihil

occurrit, in se causam conuertit, prouoluit ad pedes adolescentis, & veniam submisit precatur, quod imprudens ei causam ira suggesserit. Post aliquot annos simile genus iniuria pari constantia repulit. Homo nequam aditum in honestam domum ad flagitium captabat; quod cum sensisset Villanoua, in tempore egi ut excluderetur: non latuit res intemperantem: & inde exulceratus, unde sanari debuerat, cum primum in uia, qua Maior Compluti dicitur, obuium Villanouam habuit, grauius impacta palma percussit. At bonus Christi discipulus non uerbo, non uultu, non animo indignatus, genuflexo alteram percutienti genam offert. Et mox insignem ac publicam contumeliam seuerè vindicare cum Vicarius Antistitis moliretur, egit enixe, ut res poena omnium gratia fieret.

Hoc sui contemptu Franciscus ad agendam cum Deo, & excipiendam largè dona caelestia idoneum reddebatur. Prater consuetum Societati Orationis tempus horam totam quotidie, antequam alij surgerent, meditationi tribuebat, nam & somnum in angustias redactum sibi subderat, & quam in se se durus, tam benignus in socijs; Excitatoris matutini munus sibi quoad uixit perpetuo reseruauit. Addebat Ioannes Castaneda, quamuis propter angustias domus eodem usus est contubernio, se ferè, quacunque hora noctu euigilasset, sensisse ac saepe uidisse in genua prouolutum supinus manibus Franciscum orantem. Eius meditatio in Christi Domini uita & sacra nec uersabatur. In hac diebat, dum peregrinaretur in terris, ad mirandum uelle exire, alia sublimia & mira reseruare ad fruendum in caelo. Ex frequenti meditatione facile consequebatur, ut uelut Deum haberet in conspectu, ubique ad sui custodiae intentus ageret, sensusq; dulci ac tenero pietatis afficeretur, sic ut lacryma promptissima essent. Fuitq; cum sternentem ipsi summe sua manu lapidibus impluuium, nobilis doctorum & grauium uirorum corona circumfretus. Qui cum spectans & comier subinde compellant, ille inter laborem diuina ingressus colloquia, haud plures mittebat uoces quam lacrymas. Itaque manus quidem uersabantur in opere, & nunc concinnabant lapidos, nunc loco ponebant, malleoq; pulsabant; cor autem Deo uacabat, & caelestibus facibus colliquebat, unde sensim per os flammantia uerba, per oculos quasi odoratus fluebat imber, blandissima uis cordibus oculisq; adstantium. Aded beatum otium in negotio Sanctis abundat, & secundum est; quisque semel in diuinitatem se miserit animus, ea & pasci ubique potest, & pascere. Sed in primis de uictoria sui consuetudineq; cum Deo, profecta est insignis quaedam Villanoua sapientia. Non pauca narrantur, quibus uidetur haud dubie futura prauidisse, praesertim in allegandis in Societatem sine excludendis petitoribus. Mortem etiam suam praesentire uisus est. Certè Sacerdoti, qui pro salute eius uirtutalem se immolaturum hostiam proferebatur, Eac, inquit, quemadmodum solet pro uita functus: significans se mox, uti contigit, obiturum. Humanarum disciplinarum non erat ultra Dialectica limen progressus, & tamen consulentium de officij rationibus, alijsq; & implicatis questionibus, & grauisimis, multitudine innumera confluere, cunctoq; in populo instar prowerbij inire-

increbuerat, Cathedrarum Complutensium certissimam Cathedram esse Villanovæ. Alludebant autem ad respondentium de iure fellas. Mantius nobilis Theologus (de quo paulo ante meminimus) apertius loquebatur Theologiam Villanovæ Complutensium omnium Theologorum sapientiâ longè pluris apud se esse. Bartholomæus Torres, qui Seguntia diu Divinam scientiam docuit, moxque Episcopus Canariensis, in signem de SS. Trinitate librum edidit. triginta annos aiebat se veritatè inter S. Thomam, Scotum, Durandum, & eiusmodi subtilissimos Theologia Magistros, nec apud quemquam invenisse rationem, ex qua aliquâ ratione expediti non posset. verum Doctorem Villanovæ (sic enim loco appellabatur) rationibus & argumentis, manus sibi pedesq. vinciri, neq. vllum effugij locum relinquere. Aperte etiam profitebatur, plus se ad veritatem sui cognitionem triginta diebus, quibus in exercitiis spiritibus præceptorum habuerat Villanovæ, quam triginta annis, quos in Theologia triverat, professisse. At alphonfus Ramirez Vergara, Doctor & ipse percelebris, morti proximus duo aiebat sibi à Deo præbita æterna sue salutis pignora, vnum quod non sinisset Episcopum fieri, alterum quod animam suam Magistrum Villanovam dedisset quem etiam Angelum Custodem suam libenter nuncupabat. Ita Deus sui contemptus & confusionis amantes, etiam in hac vitâ honorat.

De locis Eboresis Collegij idem Sacchini scribit, speciem fuisse dignam visu, quam quisque visibilis ambiret muneris, quantaque curâ operam daret, ut quod impetrarat, quam cumulatissime exqueretur. Tum maximè cum vacabatur ab studiis literarum, in opera se pietatis tanquam effusus habens dabat externi adolescenter; præceptorum suorum, aliorumq. Patrum, quos & summe colebant, & quia maximè honoratos rebantur, existimabant (quod in saculo fit) ab humilium tractatu ministeriorum abesse oportere, ubi alium videbant edituo famulari, alium laicorum, alium in lacernâ fordidâ, tunicâ obsonatorum per urbem sequi, oleribus aliove onustum obsonio, herabant admirabundi, latiq. illis & in cruce Domini gloriantibus pudore ipsi suffundebantur. Ac vir Ecclesiæ Eboresis primarius, cum forte in vnum è Magistris, quem dudum noverat Theologiæ Doctorem, ligna in culnam deferentem incidisset, domum reuersus re Canonici omnem narrauit, identidem cum admiratione iterans: Deus bone quàm dissimilia sunt horum Petrum & aliorum hominum in animi remissionibus studia! Humilitas his oblectamentum est, pro requie ac deliciis laboriosa sui contemptio. Nec verò domi illi tantum ad suam, verum etiam foris ad vilitatem proximorum exercebantur, primarium inter se virtutis, charitatis & sanctæ humilitatis officia copulantes. Est Eboresis foro in extremo fons publicus ingens manufactus, quo opere nobili atq. magnifico per duodecim milia passuum magna vis optima aque deducitur. In aduersa fori parte custodia est publica Civitatis, Archiepiscopi verò carcer modico intervallo à foro disunctus non nisi frequentissimâ viâ per medios artifices varij generis adiri potest, vitrobis, autem aqua inopiâ laborabant vinciti. Quâ cognitâ re Collegi in ceteris submissionis & charitatis muneribus id quoque vsurpabant. Luce palam

expediti ad eum fontem cum vas accedebant, & quantum ad multos dies satis foret, aquæ vtramq. in carcere deportabant. Iam Nosocomia adire, consolari, & edocere iacentes, lectos eorum stertere, sordes euertere pavimenti, huiusq. modi alia, vetus & vbiq. nostræ iuuentuti consuetum est opus. Sed illud accidit Ebores singulari. Populares discipuli sepe in egorum vincitorum obsequiis admirati Magistros (ut nihil est humano ingenio ad imitationem proclivius, neque genus aliud alterius quam Discipuli Magistrorum) emulari talia exempla cœpere. Itaque adolescentes genere & opibus nobiles, abiecti pallis, raptis vndeunque vasculis, certatim per medium forum & celeberrima compita, ex fonte miseris solatia deserebant, quous latice tantò gratiora, quando ab vilitatè minus benignitate profecta, ut vincit non corporum magis aqua illa leuaret sitim, quam noua spectaculum pietatis sanctum animi æstum accenderet, considerantibus non quid sibi, sed quâ manu daretur, nec quantâ emptum pecuniâ, sed quantâ ingenii pudoris victoriâ, & quasi impensa. Ceterorum verò Civium plurimi, fixo ad spectandum gradu, sublati ad celum manibus, gratias Deo agebant, quod talis Ebores soboles adolesceret, haud sine aliquâ querimonia temporum suorum, quod sibi olim adolescentibus Institutores iidem non contigissent.

Salmantica regente Collegiam P. Martino Gutierrez, notæ in Societate sanctitatis, & merito laudatæ ab Hieronymo Plato & Ludouico de Ponte, feriarum autumnalium tempore, hinc quotidie sacerdotibus ac laici ante postque meridiem, Nosocomium quadraginta dierum spatio, frequentarunt, prauitq. ceteris Rector, nec solum seruitia officia, intra parietes obibant omnia, sternendo lectos, verrendo solum, vasa immunda purgando, sed etiam è vicino fluuio, postis pallis aquam gestabant, haud parua hominum admiratione, cum in Rectorem præsertim, totâ vrbe notissimum & maxime existimationis, vna onustum incidebant. Hoc tempore quo Collegi Nosocomio ministrarunt, ægri omnes quamuis pestiferis laborarent morbis, conualuere. Quam rem cum diligentia & charitati, quâ curati à Patribus sunt, tum eorum pietati ac precibus, Nosocomij Curatores tribuere.

Anton. Madridius publicus Philosophiæ in Academiâ Salmanticensi Professor, cum ad Societ. esset admissus; Continuo Rector nostri Collegij iussu, posito talari vestitu, è publico fonte aquam in vitro petere: ut quò plura doctrina & auctoritatu asserbat ornamenta, eo firmiter poneret fundamenta obedientiæ & humilitatis. & ille à lacrite & obedienter profectus, eâ notos admiratione percussit, ut quidâ propè sanctum, alij planè stultum existimarent. Hæc animi excellentiæ cepta militiâ, & Granatâ Cordubam ad Tyrocinium accuratus ponendû missus, nihil auebat ardetius, quam summe ab omnibus desipi, pessimeq. accipi. Quod cum minime succederet, abicere ipse sese vbiq. pro nihilo ducere, nullâ prætermittere occasionem, quâ sui amorem quasi capitalem hostem, vexare ac suffigere cruci posset; in sermonibus si que veniret in mentem, quæ ingeniose & commode dici viderentur, ad ingenij & pietatis ostentationem vitandâ caute obicere (quoad Moderatores

Hhh

re

Sacch. l. 6.  
num. 113.  
Plat. l. 1.  
cap. 34.  
Ludo. in  
vit. P. Al.  
na. c. 23.  
& 27 p.  
258. 305.  
306. 311.  
312. 313.

re inde animaduersa quod sepe interstisibat & abrup-  
pebat filium, iusserunt attributa Deo laude, quod suc-  
curreret in medium bona fide conferre) quin etiam ut  
doctrinam obtegeret, imperitam atque subrusticam  
affectare locutionem, praesertim apud eos, quibus erat  
ignotus: domi libenter cum infimo quoque agere, aper-  
teq; se Pedroccipastoris filium ferre: plurimum vestitu  
atrito atque vili delectari. Hoc tirocinium, hoc militia  
omnis ad est, tota via Doctoris Madridij fuit. Ex eo suis  
vero contemptu oriebatur insatiabilis asperissima que-  
que patiendi fames.

num. 77.

Gravi forsitan supercilio (pergit Sacchinus) indig-  
netur haec stulta saculi sapientia. Ceterum in schola  
Christi, qua perfectam docet homines sui victoriam,  
in qua non ut in Academijs aut Lyceis, sed velut in  
templo etiam agitur, hostia, tanquam infixum gerentes  
ingulo mortificationis cultrum, & tanquam aris ac  
flammae imposita, ita continentia maclantur & ar-  
dent, ut longum vita sacrificium sit, subtilitatem Phi-  
losophia caelestium continent.

num. 6.

Est ergo conforme etiam Societatis Spiritui,  
talibus rebus quaerere nostri mortificationem,  
& confusionem, atque ita in ordinatione pro  
instructione PP. Tertij anni praescribitur: Vilia  
indumenta, & alia id genus mortificationes praetermis-  
ti non debent. Et Reg. 40. Magist. Nou. ha mortifi-  
cationes praescribuntur Nouitijs: Prater solita  
experimenta, petere ostiatim elemosynam, comitari  
emptorem ad comparanda ea, qua emuntur, indus ve-  
stibus vilioribus, qua tamen Religiosos deceant,  
& alia id genus.

cap. 4.

Sic olim P. Gonzalvus Sylueria, postea mar-  
tyrio coronatus Monomotapae in Africa, egit  
per vias publicas asinum lignis vel oleribus  
onustum ut scribit P. Nicolaus Godignus in eius  
vita. Idem fecit Andreas Spinula Genuensis  
Romae, vbi antea proximus erat dignitati Car-  
dinalitiae. Ut omittam recentiora exempla P.  
Innigi de Guevara, antea Ducis Bouini, & P.  
Caroli a Lotharinga Episcopi antea Virtu-  
nentis, qui Romae per vias publicas, mendico-  
rum more, in vestibus vilibus, circuibant loca  
vrbis celebriora ad sui confusionem & victo-  
riam, ante paucos annos. Quod omnibus annis  
alij ibidem, & alibi in Societate cum laude fa-  
ctitate solent, ad haec vsque tempora, vbi viget  
feruor vitae spiritualis.

24.  
gr. 15.

Ideo, inquit S. Ioannes Climacus, sciens Domi-  
nus exteriori habitu figurari anima virtutem, sumpto  
limbo humilitatis nobis compendium ostendit. Studium  
enim assimilatur anima, & ad que gerit formatur, at-  
que ad ea figuratur. Aliiter affectus est, qui in sterquilio  
sedit: atque ideo fortassis magnus ille iustus extra  
Ciuitatem sedebat in stercore. Tunc enim perfectam  
consecutus humilitatem, ex intimo cordis affectu dice-  
bat: Contempsi me ipsum, & contabui. Existimaui au-  
tem me ipsum terram & cinerem.

25.  
cap. 24.

Sanè S. Basilius in Constitutionibus Mona-  
sticis, cum dixisset, pietatis cultorem debere viliora  
etiam munera magno cura studio, magna que cum ani-

mi alacritate suscipere; subdit. Licet communibus  
vilicariis inferuentia sarcinaria sequi iumenta  
oporteat, refecare tamen non debet; siquidem venire in  
mentem Apostolorum exemplum debet: quam alacriter  
illi Domino paruerunt; quando ipsis mandauit, ut ad  
se pullum adlucerent, cogitarent; & illos quoque, quo-  
rum causa iumentorum curam suscipiant, fratres Do-  
mini esse, & tribuant ipsis beneuolentiam studiumq; in  
ipsorum Saluatorem redundare, qui dixit: Quatenus  
fecisti vni de his Fratribus meis minimis, mihi fecisti.  
Quod si sua facit, qua minimorum sunt, sine dubio  
multo magis qua electorum sunt (vri sunt Religiosi)  
ea sibi vendicabit, modo ne officium existimet causam  
ad licentiam.

16.

14. 419

Simili modo & Spiritu probabant suos vete-  
res Monachi, de quibus scribens Cassianus: Non  
tacebimus, inquit, etiam nobis cognitum Fratrem, se-  
cundum saculi huius ordinem magna familia. Nam  
Patre Comite ac diuissimo oriundus fuit, studij quo-  
que liberalibus non mediocriter instructus. Qui re-  
lictus parentibus cum ad Monasterium prouolasset, ad  
comprobendam mentis humilitatem vel fides eius ar-  
dorem, confessum ei a Seniore preceptum est, ut 10.  
sportas, quas necesse non erat publice venditari, cer-  
uicibus suis onerans, distrahendas per plateas circum-  
ferret, adiecta conditione, qua diuitis in hoc officio  
reimeretur, ut si forte vnus pariter coemere voluis-  
set, non cederet, sed singillatim eas quarentibus venun-  
daret. Quod ille tota deuotione compleuit, & omni  
confusionis verecundia pro nomine ac desiderio Chri-  
sti calcata, sportas humeris suis imponens pretio fla-  
uito distraxit, ac pecuniam ad Monasterium reporta-  
uit; nequaquam perterritus tam vili & infanti Of-  
ficii nouitate, nec considerans indignitatem rei nata-  
lunq; splendorem, ac venditionis iniuriam, dum il-  
lam Christi humilitatem, qua est vera nobilitas, per  
obedientia gratiam desiderat obrinere.

17. dicit

c. 4. 91

Equitius Abbas vir sanctus, ut scribit S. I. dicit  
Gregorius, ita in vestibus vilis atque despectus erat,  
ut si qui illum fortasse nesciret, salutatus etiam  
resalutare despiceret, & quous alia vendebat ad  
loca, iumento sedere consueuerat, quod esse despicia-  
bilis omnibus iumentis potuisset reperiri: in quo et-  
iam capistro pro freno, & veruecum pellibus pro sella  
viebatur.

c. 28. apud

6. Maii

S. Ioannes Damascenus, ut author est Ioan-  
nes Hierosolym. Patriarcha in eius vita, iustus Saurum  
est in caeobio a suo Magistro spiritus, deferre  
corbes venales in mercatum, & pretium duplo  
maius, quam par esset, petere, ex qua enormi  
petitione multas eachinnationes, iniurias, &  
conuitia tulit, oillas eiusdem iussu tergebat, sor-  
des verbebat, scaphia purgabat, & omnia Mona-  
stij ministeria obibat: insuper etiam quasi  
nullam rem recte ageret; crebra cum reprehē-  
sione atque obiurgatione tentabat. Quocirca Manth  
qui talia agunt magnas coronas in caelo, saepe  
etiam in hac vita acquirunt: iuxta Christi pro-  
missum: Qui se humiliat, exaltabitur, non tantum  
in caelo, sed etiam in hac vita.

Ego

Ego sanè cum considero vitam S. Philippi Neri, me præsentem mortui, cum magnâ & rarâ opinione sanctitatis & honore, quo vix mortuus coli cœpit, vti & dum viueret, & quo nunc eius corpus & facellum Romæ colitur, multo magis quàm alibi multorum Sanctorum eximiorum corpora, non aliam huius rei causam esse puto, quàm quòd Dei causa per actiones ridiculas, & viles, & tironum proprias, in conspectu magnatum editas, sui confusione & opinionem hominis leuis ac stulti quaesierit, exemplo non omnibus imitando. Quod quidem ei facere licuit, nobis tamen non licet, quia Reg. II. Summ. monemur, *ne mala de nobis opinionem occasionem vllam præbeamus.* Et Regul. Commun. *ne mortificationem faciamus vllam sine approbatione Superiorum.* Ille tamen, qui his legibus astrictus non erat, & sæpè in ore habebat illud Apostoli, *Si quis vestrum inter vos sapiens est, in hoc seculo stultus fiat,* sapientem Sanctorum quorundam stultitiam imitatus, sui confusione optabat, & quærebat artificiosè, vt tanquam vili & abiectus contemneretur, & pro stulto haberetur ac leui. Hanc ob causam (vt in eius vitâ scribit Baccius prima Augusti, quando est maximus Romæ concursus ad S. Petrum ad vincula, in arcâ illius templi saltauit. Eandem ob causam per menses aliquos incessit indutus pelliceo inuerso: inuitatus ad prandium à Cardinali Alexandrino, tulit secum ollulam lentibus coctis plenam, & multa similia publicè exhibuit exempla, ob quæ ab omnibus despiceretur & erubesceret. domi verò ordinariè calceos albos induebat, pileolo paruulo caput tegebat, & longâ veste clericali depositâ, & solâ rubrâ interuallâ protensâ tantum ad genua indutus, excipiebat se visitantes, etiam Cardinales. Audiuì Cardinalem Baronium eius Confessarium in Concione in Annuario eius Anno 1600. habitâ, dicentem, eum simulasse iram, vt pro iracundo haberetur. Audiuì ab Angelo Bagnarea familiari eius, & (qui eum vidit diuinitus sublatum in aère) medico, se solum ad suum cubiculum admitti solitum manè, idè quòd ab eo sapius reprehenderetur ob istas stultitias, & quodam die inuenisse eum legentem Historiam cuiusdam per urbem innocenter castigatâ carnifice, idque huic medico cum lacrymis eum retulisse dicentem: *ô Filipe, ô Filipe, tibi hoc deberet fieri.* Ex hoc mortificandi sui studio factum est, quòd dimidium barbæ abraçè habens prodiit in plateam summo concursu Romanæ Nobilitatis frequentem (quam vocant Allibanchi) fasciculum flosculorum manu gestans & odorans instar sæculi amatorum. Ibidem cum incidisset in B. Felicem Capucinum, vinum elemosynæ nomine datum bailantem, vase arcepto, coram alio instar gulosi bibit. Hanc ob causam cum visitaretur à quibusdam nobilibus Polonis meo tempore, eum ob san-

ctitatis opinionem videre cupientibus, vbi eos aduentare intellexit abiectò spiritali, qui tunc ibi legebatur libello, arripi curauit Ariostii librum facetis & quandoque minus honestis rebus respersum, cuius lectione mundi sectatores oblectari solent: & hospitibus quærentibus, quidnam ei legeretur respondit, Ariostum, animi causâ se accepisse legendum. His modis etiam suos spirituales, Filios maximè charos exercebat, imponens eis innumeras pudoris honesti & confusionis materias, quæ si recenserentur, inquit, Petrus Iacobus Baccius in magnum volumen excreverent. Solebat suos spirituales Filios, etiam nobiles, mittere ad petendas in templis elemosynas facie non rectorâ: iubebat illos verrere plateas templis adiacentes: frustra panis ante aliorum portas mendicare. Misit quendam iuuenem cum campanulâ, vt per campum Floræ deambulans eâ pulsaret: alteri vt pilos capitis ei abraderet, B. Felix Capucinus eum induxit: alterum iussit totâ vitâ ferre cilicium non sub indulio sed supra exteriores omnibus aspectabiles vestes instar cinguli. Per annos 44. domesticos vexari voluit per latratum canis diurnum, atque nocturnum. Sæpè misit Baronium cum magnâ lagenâ ad dispensarium publicum vt in eo emeret exiguam vini mensuram, pro quâ soluendâ, cum sat essent pauculi obuli, dabat ei nummum aureum. Quo viso paterfamilias vix aliquid accipiens, sed multum argenteæ pecuniæ restituens, bile exurgente Baron. mordacibus verbis perstringebat, & præter conuitia quibus Baronius impetebatur, sæpè periculum fustigationis hanc ob rem incurrit. Et hac ratione suos perpetuâ mortificatione exercebat, eo animo, vt perfectam propriæ exultationis, & honoris appetitus abnegationem consequerentur. Ideò solebat dicere: sanctuatè in tribus digitis sitam esse: quod pronuncians suam frontem tangebatur, & declarans id quòd dixerat, aiebat, totum esse situm in mortificatione rationalis facultatis. Quæ verba sæpè proferebat, intelligens per rationalem facultatem nimirum discursum. Omitto his maiora & magis admiranda, quæ Romæ ab eius familiaribus didici, sed nullâ ratione vulganda, hoc præsertim tam corrupto sæculo, & ad perstringendos aliorum mores iniquè proclini, ob quæ etiam domestici quidam (vt audiui anno 1594. ab eius intimo magno amico meo Antonio Gallonio, primo & accurato sanctissimæ eius vitæ scriptore) ei valdè succensebant, & leuitatis arguebant, humano spiritu, tales Sanctorum insanias improbant. Quas sanctas tamen stultitias tanti fecit in S. Philippo Deus, vt eas per suum in terris Vicarium in Bullâ eius Canonizationis his ipsis verbis collaudauerit: *In Christianâ mortificatione adeò præcelleret, vt merito habitus fuerit eiusdem virtutis singularis Magister: & imprimis mentis discursum, quem ipse*

rationalem nominare consueverat, assidue comprimere & captiuare in obsequium Christi studuerit, ideoq; ea plerumq; faciebat, & facienda proponebat aliis quae intuentibus animi potius leuitatem atque stultitiam saperent & c. Solet enim, ut ait Theodor. Diuinus amor magnam erga Deum concitare insaniam & diuinum amarorium facit Diuino quodam furore debacchari. Tali stultitia & insaniam ob Christi amore laborantes laudat Christus Dominus, S. Brigitta alloquens: Sunt, inquit, alij insipientes ad mundi delectabilia & honorem eius; & sapientes ad considerandum, quae Dei sunt; seruientes in obsequio eius. Hi veraciter sapientes sunt, quia sapit eis praeceptum Dei & voluntas eius: Ipsi veraciter illuminati sunt, & apertos habent oculos, quia semper considerant, quomodo veniant ad veram vitam & veram lucem. De talibus insipientibus dici potest id, quod scribit S. Bern. de tribus Magis, qui Christum abiecerunt in praesepio & inglorium adorauerunt: Insipientes facti sunt, ut serent sapientes: & praedocuit eos spiritus, quod postea praedocuit apostolus: Qui vult sapiens esse, stultus fiat ut sit sapiens. Alienae ergo debent esse a nobis tales censurae, dum videmus, vel audimus a viris pietatis studiosis, dici vel fieri aliqua nostro gustui & palato iniucunda. Interpretentur pie omnia. Nam sicut multa falsa, ut ait Arist. in Topicis, sunt probabiliora veris, ita multa nobis videntur reprehensione digna, quae tamen sunt supremo Iudici valde accepta. Alioqui timendum est, ne nos illam Christi Domini reprehensionem incurramus, quae habetur in Reuel. S. Brigittae, coram qua cum Christus laudasset confessionem Magdalene, dum coram conuictis pedes eius abluit, nil curans censuras conuictarum, subdit: Qui sunt, inquit, iudaei qui Lazarum querunt interficere? nisi illi qui ex eo indignantur, quod melius his viuitis, qui sublimia didicerunt loqui, & modica facere, qui saniores hominum sequentes, tanto contemptibilius contemnant facta aliorum, quanto minus dignantur vera & altiora intelligere? Tales sunt multi, qui de virtutibus sciunt disputare, sed non eas viuendo virtuose seruare. Qui autem victus a superbia spiritu, non vult seruare quae cognoscit sibi esse ex virtute facienda, saltem ne alios ea facientes damnet verbis & mente sola, sciatque vnam ex technis diaboli esse hanc, per quam conatur animam auertere ab amore Dei, dum ei suggerit hoc cogitandum, ut praemonuit Beatissima Virgo S. Brigittam: Deridere ab omnibus, si te nimis humiliabis & submittes. E contra illi qui Christi causam se humiliant in oculis hominum, pergant, non curent aliorum oculos, quorum demon est artifex. Nam, sicut diuinitus est reuelatum eidem S. Brigittae, Homines mundani dupliciter tales damnare, seu nocere conantur spiritualiter: Primo, verbis suis vituperant eos. Secundo, si possunt libenter eos operibus suis molestare, ut si eos sibi in vita & actibus similes faciant, retrahendo eos a bonis inceptis. Sed homo Dei sic nouiter con-

27. or. de Chait.

l. i. in E. piph.

28.

l. 4. c. 72.

29.

30. l. 4. Reu. cap. 75.

l. 4. Reu. cap. 79.

uersus ad vitam spirituales, istos tales malignos homines optime vincere potest, si contra verba sibi contraria, patientiam habuerit, & si tunc frequentius & seruentius bona opera spiritualia, & diuina ipsi videntibus exercuerit. Quae confusionis exempla licet omnibus placere debeant, ab his tamen peculiariter studio exhibenda sunt, qui vanitatis spiritu laborant, ut hac ratione iuxta praescriptum medicorum rebus contrariis morbum abigant. Sic Deus ipse conuictam Senis Anachoretæ saeuit superbiam, Nam, uti scribitur in Viris Patrum, cum Senex quidam solitarius in eremo, cogitasset se perfectum esse has ad Deum preces fudit: Ostende quid desit perfectioni meae, ut faciam. Volens autem Deus humiliare cogitationes eius dixit: Vade ad illum Archimandritam, & quicquid dixerit facito. Reuelatus autem Deus Archimandrita illi, antequam ille ad ipsum veniret, dicens: Ecce solitarius ille venit ad te. Dic ergo ei, ut tollat flagellum, & vadat & pascat tibi porcos. Veniens ergo senex, pulsauit ostium, & ingressus ad Archimandritam salutauit eum: cum autem sederent, dixit illi solitarius ille qui venerat: Dic mihi, quid faciam ut sim solitarius: Et ille dixit: Facies me, quodcumque dixerero tibi: & respondit: Faciam, & dixit ei: Ecce tolle flagellum, & vade, pascite porcos hos. His autem qui eum nouerant, & audierant de eo, cum vidissent quia porcos pasceret, dicebant: Vidistis illum magnum Solitarium, de quo mira audiebamus: Ecce stupuit cor eius, & a demonio vexatur, & pascit porcos. Videns autem D. Iesus humilitatem eius, quia ita patienter sustinebat opprobria hominum, praecipit ei iterum redire ad locum suum. Discamus ergo a Deo, humilitationis & confusionis actibus elidere superbiam, Deique rati & probantis & suadentis iudicio nos conformare.

Non curemus ergo contraria aliorum iudicia, quia Dei iudicium probat confusiones, eius causa susceptas, pluris est faciendum, uti docent exempla Sanctorum magnorum, qui ex Diuina voluntate fecerunt varia, cum magna sui confusione & pudore coniuncta, uti ponderant S. Ambr. Capita, inquit, & supercilia sua tradidit, qui Iesu suscipiunt facta: quod si Christianus vir attentior sacrosanctae Religionis vestem mutauerit, indignum facinus appellant. Equidem doleo tantum esse in mendacio obseruantiam, in veritate negligentiam, ut confundantur plerique, attentiores ad sacrosanctam Religionem videri, non considerantes vocem dicentis: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in caelis est. Sed non confusus est Moyses qui cum esset adscitus in domum regiam, thesaurus Aegypti opprobrium Christi praefendum, putauit. Non confusus est David, qui ante arcem testimonij coram omni populo saltauit. Non confusus est Isaias, qui nudus & discalceatus per populos ibat, ut acula clamans caelestia Nam uti ipsemet scribit, cum sibi a Deo dici audiret: Vade & solue saccum (hoc est cilicium contextum de pilis caprarum vel camelorum, quod loco indusij ferebat, uti & S. Ioa. Baptista & alij) de lumbis tuis, & calcameta tua tolle de pedibus tuis, statim obediit Deo: uti dicitur eod. vers. 2. Fecit sicut

31. l. 1. libel. c. 10. p. 2. Ro. l. v. 2. p. 1.

31.

31. l. 4. ep. 16. ad Sibinam Episcopum

Mar. 1. 1. c. 1. 2. Reg. 6. l. 11. 2. 1. c. 1.

Hebr. 1. Reg. 6. l. 11. 2. 1. c. 1.

ver. 11.

vadens nudus & discalceatus. Quod non per visionem & in visione fecit, sed verè, & re ipsa, ut asserunt SS. Hieronym. Cyrill. Haymo, Dionysius, Cornelius noster, contra Sanctum in Comm. & Clem. Alex. lib. 2. Pædag. Theodor. 1.6. c. 35. in hist. rel. sect. 26. & indicat S. Ambrosius in Psal. 39. & clarè alibi asserit. Ita confudit se vit tantus ex genere Regis oriundus, ut scribit S. Hieronym. in Hebræorum traditionibus & communiter omnes commentatores. Et hoc modo etiam sine vllis subligaculis (uti contra Piatum & Montanum benè probat in Commentario noster Cornelius) incessit coram omni populo, ut ei portenderet extremitatem in captivitate tum ignominiam, tum spoliationem, & paupertatem, quam per triennium in Ægypto & Æthiopiâ pati debebant ab Assyriis: & hoc modo nudus omnino totus, non erubuit mediâ die incedere, idque per triduum, ut putat Cornelius, & dicit Ambrosius, vel per triennium, ut exultimat Forerius insignis Itatæ Commentator, & primus ferè post SS. Patres ex Ordine Prædicatorum, gestis in Concilio Tridentino celebris. Quamvis enim id præberet occasionem summi pudoris, & res videretur indecens valdè & facta, tamen, ut inquit S. Hieronymus in Comm. nihil honestius est Dei præceptis.

34. Quæ honestas etiam Abrahamum induxit, ut non tantum denudaret se, sed etiam ob Dei voluntatem præputium sibi abscindi pateretur, eamque ceremoniam aliis quoque adultis servandam præscriberet, non tantum infantibus. Atque ita S. Ambrosius loc. cit. *Isaiam non ludibriosè, sed gloriosissimè denudatum esse ait, in conspectu populorum occursum, etsi nudus omnino iret per populos, & ei & virili sexus & muliebris occurreret.*

35. Simili modo Ieremiam iussit Deus: *Fac tibi vincula & catenas, & pones eas in collo tuo.* Id est, impone collo tuo funes seu lora, quibus iugum collo aut cornibus bouum alligatur ad arandum, & catenas ligneas instar furcarum: quæ, ut ait Varro, similes erant literæ V. & à seruis portabantur in speciem trianguli, ut porcis imponuntur, ne sepes perumpant. Quo genere mortificationis portendebatur Nabuchodonosorem iugum seruitutis omnibus gentibus imposturum, eò quod ipsi, præsertim Iudæi suave Dei iugum excusserint, dixerintque: *Non seruiam.* Hoc ergo modo Ieremias, more captivi & vilissimi mancipij victus, prodiit in publicum non sine rubore & confusione, eam (ut Deo obediret) contemnens, & adhuc magis confusus, postquam (ut capite sequenti refertur) Plenodpropheta Ananias (qui vers. 1. vocatur Propheta de Gabaon) contraria dictis Ieremiæ prædixit: *In domo Domini coram Sacerdotibus, & omni populo, & tulit catenam de collo Ieremiæ Propheta, & confregit eam, & ait in conspectu omnis populi dicens: Hæc dicit Dominus: Sic confringam iugum Nabucho-*

donosor Regis Babylonis, post duos annos dierum de collo omnium gentium. Quo audito Ieremias acceptâ hac iniuriâ atque contumeliâ, inquit Cornelius, tacuit & patiens abiit, ut v. 12. subditur: *Et abiit Ieremias Propheta in viam suam.*

Magis adhuc Deus confudit Ezechielem Prophetam: iussit enim eum dormire & cubare super latus suum sinistrum per 390. dies (ad septuaginta hoc situ pœnam Israelitarum iniquitatibus debitam, & ad sustinendum pro iis pœnas, simulque ad supplicandum pro veniâ eis impetranda) *super latus vero dextrum pro iniquitate domus 40. diebus, & circumdedit eum vinculis, id est, fecit eum à cognatis ligari tanquam insanum, ut explicant Vatablus & Pradus, & colligitur ex cap. 3. vers. 25. ubi idem ei Deus prædixit: imò & mutum eum fecit, & linguam eius fecit adherere palato.* Pro cibo, autem eius Deus designavit per omnes illos dies decubitus *frumentum & hordeum & fabam & lentem, & milium & viciam*: vicia autem cibos equorum & pecorum est, inquit Cornelius: quod S. Hieron. in Comm. vertit auenam. Symmachus ex Aquilâ Zeas, id est, spelteam. Ex quibus sibi debebat totidem coquere panes, quorum singulos comesturus erat illis 430. diebus; comesturus autem erat singulis diebus, non quantum vellet, sed in ponderè certo, scilicet 20. stateres in die, uti solet in magnâ fame vrbis oblesse. In Hebræo est 20. sicos, Siclus autem, teste Hieronymo & Iosepho, 4. drachmas ponderabat. Drachmæ octo vnam faciunt vnciam: 20. ergo stateres, inquit Cornelius & Tirinus, sunt decem vncia, quæ necdum vnam librari (quæ 12. vnciis constat) efficiunt. Quibus proinde per diem trahitur magis anima, quam sustentatur. At Theodoretus & Polychr. 20. stateres æquant tantum tribus vnciis, alij quinque vnciis, id est, tam exigue quantitati panis, quanta præscribitur in Italiâ à nostris, pro collatione vespertinâ in Quadragesima & ieiuniis. *Quæ mensura cibi & potus, inquit idem Tirinus, non tam vires augebant, quam mortem prohibebant.* Pro potu verò eius, per hos 430. dies Deus solam aquam designavit, eamque non ad satietatem, sed in mensurâ sextæ partis huius: id est, ut explicat Cornelius, duos sextarios Italicos, hoc est, ut ait Tirinus, vncias 26. cum duabus tertiis.

Potro in modo pinsendi hos panes magna fuit confusio & mortificatio Prophetæ: siquidem Deus illos non iussit in clibano coqui, uti honestiores coquuntur, sed sub cinere, ut moris est rusticis coquere suos hordeaceos panes. *Et quasi subcinereum hordeaceum comedes illud, & stercore quod egreditur de homine, operies illud in oculis eorum.* Hoc est, coques illos sub cinere stercoris humani exsiccati, sicut loco lignorum, in eorum defectu, rustici vntur cespite, vel stercore sicco boni, inquit Cornelius & Tirinus, qui citant Rabbi David, Marimum, Forsterum, Pagnini.

gnum in Lexicis, Pintum, Vatablum, Lyranum, Maldonatum, Pradum in Comm. & sic suos panes Ezechielem iussit coquere in oculis eorum. Sed cum Ezechiel, uti ex honesta & nobilitate familia natus, quippe Sacerdos, deprecatur, ne tam immundam rem comederet, indulsit Deus, ut adhiberet simum bouum pro stercorebus hominis, & ita panem suum faceret in eo.

His non contentus Deus, iubet Prophetam c. 5. caesariem & alioqui prolixam barbam habentem, uti apparet ex eius effigie de prompta ex peritissimo manuscripto codice Vaticano, & expressa initio Commentariorum Cornelij à Lapide in prophetiam Ezechielis iussit, inquam, eum Deus radere caput & barbam, quae apud antiquos alebatur, etiam à Iuliano Apostata, & à Romanis, & pilos abrasos in statera ponderis diuidere in tres partes. Eorum verò tertiam partem igni comburere, in medio ciuitatis, aliam verò partem dispergere in ventum, & ex sparsis in ventum, iussit eorum paruum numerum sumere & ligare in summitate pallij sui, item in extremitate & ora eius, & ex eis rursus partem tollere & proticere in ignem & comburere.

Post hæc iussit Deus Prophetam manu percutere femur, & pede plodere, terramque pulsare. Post ista, iussit eum egredi ex urbe, & sua efferre, sed non per portam, verum per foramen in pariete à se ipso fodiendo, & exire in humeris alienis. Ita Deus Sanctis suis suppeditat confusiois materiam.

Ex minoribus Prophetis primo Osee, viro honesto & celebri non per visionem, ut aliqui putant, sed re ipsa iussit Deus ducere uxorem meretricem, fornicationibus valde infamem, ex eaque liberos suscipere. Vti exponunt Theodor. Cyrill. Hebraei, S. Augustinus, Basilius in cap. 8. Isaia, Irenæus l. 4. c. 37. S. Thomas, idque ad perpetuò cohabitandum cum illa, ut in Comm. ostendit Cornelius.

Quorsum hæc Deus fieri voluit? Respondeo. Præter Propheticas prædictiones, non tantum verbis, sed etiam factis exprimendas ipsis, inquit, Cornelius in c. 64. Ezechielis ante finem; Deus his exemplis docet iubetque, suos stultescere mundo, ut sapiant Deo. Hac de causa eis imperauit paradoxa, & à communis vitæ usu abhorrentia, ut eos aliosque doceret, tum simplicem obedientiam, tum perfectum sui mundi contemptum. Ita veteres Ascetae & Monachi suos exercebant, paradoxa quedam & in specie supra eis præcipiendo, &c. Hanc sanctam sapientiam passim docuit verbo & exemplo S. Franciscus, B. Iuniperus, B. Iacoponus & similes alij, quin & Apostoli ac S. Paulus, dum passim prædicat Crucem Christi, Iudæis scandalum gentibus stultitiam; Audi eum: Putoque, quod Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tanquam morti destinatos, quia spectaculum facti sumus mundo & Angelis & hominibus: Nos stulti propter Christum &c. maledicimur, & benedicimur, persecutionem patimur,

& sustinemus; blasphemamur & obsecramur, tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsa usque ad hunc. Hæc Cornelius à Lapide.

His sanctis insantiendi rationibus (ut phraasi Signatij vtar) adnumeranda est saltatio Dauid Regis ante Arcam Domini instituta, quæ cum transferretur de domo Obededon ad ciuitatem Dauid, hoc est, in arcam Sion (ut patet ex c. 5. vers. 7. 9. & 1. Paral. 15. 1.) collocanda in tabernaculo nouo (1. Paral. 16. 1.) Dauid septem choros secum ducens, & victimam vitulis ad sextum quæque passum, immolabat bouem & arietem, & accinctus Ephod lineo, veste sacerdotali, Exo. 28. 1. seu, ut vocatur 1. Paral. 15. 27. stolâ byssinâ, saltabat totis viribus ante Dominum. Quem saltum cum vxor Dauidis Michol per fenestram vidisset, despesit eum in corde suo, vers. 16. & redeunti Dauidi domum occurrens dixit, vers. 20. Nudatus es quasi vnus de furtis, eo plane spiritu imptobans mariti saltationem, quo politici solent mortificationes publicas, pudorem & erubescientiam adferentes. Cuius illo verba contemnens non tantum non doluit, quod fecerat, sed dixit vers. 22. Vltor fiam plus quam factus sum, & ero humilis in oculis tuis. En fructus talium mortificationum, acquisitio humilitatis quo facto, ut ait S. Ambrosius, docuit contumacem regalis potentia non habendum, vbi Religioni exhibetur obsequium.

Quid ergo inde secutum? Duo secuta sunt. Primum, parita est sterilitate Michol, quia non est ei natus filius, vsque in diem mortis sue. Et licet S. Hieronymus citatus à Mendoza in libr. 1. Reg. c. 2. n. 10. annot. 15. sec. 2. n. 33. dicat peperisse filium nomine Iacrah, eodem die quo obiit, ideoque dictum esse 2. Reg. 6. vlt. non peperisse vsque in diem mortis sue, tamen mater Iacrah 1. Paral. 3. 3. qui pro hac re citatur, ibi non Michol appellatur, sed Egla, quam esse eandem cum Michol probandum esset ex Scripturâ, in quâ id non reperitur, quod eò certius est Diuinæ punitionis argumentum, improbantis, supplicio feminis maxime in lege veteri grauissimo, immixtæ sterilitatis. Quia constat ex Scripturâ Michol alias non fuisse sterilem, quippe quæ filios genuerat Hadrieli. 2. Reg. 21. 8. cuius ante coniugium cum Dauid vxor erat. 1. Reg. 18. 19.

Merito ergo hæc Dauidis publica sui confusio ad Dei cultum & humilitatis meritum suscepta laudatur à Sanctis, & contrarius spiritus damnatur etiam ab hæreticis Commentatoribus, nam, ut in suis notis dicunt Immanuel Tremellius, & Franciscus Iunius Caluiniſta, propter hanc suam in Deum, & in maritum ac Regem contemptum, sterilitatis perpetuo probro affecta est. Sic S. Ambrosius cum laudasset Dauidem saltu suo coram Arcâ confusioem sui non curasse, subdit: Quid tam deforme visibili spectaculo, quam h-

frionicos simulare gestus? & femineo vsu mollire mē-  
bra: delictarum comes & luxuria ludibrium est lasci-  
ua saltatio. Quid illud quod ipse cecimus dicens (Ps. 46.)  
omnes gentes plaudite manibus? nempe si corporalia  
consideremus tanquam muliebribus intermixtum cho-  
ris putamus eum concupere manibus & turpi sono  
plaudere. Nam & de Ezechiele dictum est: Plaudite ma-  
nu, & percutite pede, sed hac quoque corporeo aspectu  
sunt turpia sacrosanctæ Religionis contemplatione re-  
uerenda sunt: ut qui ista reprehendant, ipsi in laqueos  
reprehensionis animas suas inducant. Et relata histo-  
riâ David saltantis, ac dato responso vxori, sal-  
tationem eius improbandi, subdit: Non erubuit  
David femineas opiniones, nec opprobria apud mulie-  
res subire pro Religionis obsequio verendatius est. In-  
debat enim Domino puer suus, & idē amplius placuit,  
quia ita se humiliavit Deo, ut Regale post haberet fasti-  
gium, & vltimum exhiberet Deo, quasi seruulus mini-  
sterium. Denique illa que saltationem huiusmodi re-  
prehendit, sterilitatis damnata, non dedit sobolem Re-  
giam, ne superbos crearet, & quod verum est, nullam  
est adepta posteritatis sue meritorumq; successionem.  
Et infra: Hæc gloriosa sapientis saltatio, quæ saltavit  
David: & idē vsque ad sedem Christi humilitate  
spiritualis saltationis ascendit, ut videret, atque audi-  
ret, decem Dominum Domino suo; Sede à dextris  
meis.

Hoc ipsum ponderans S. Bernardus: Ludam,  
inquit, & vitior suam, ludam scilicet ut illudat. Bonus  
ludus quo Michol irascitur, & Deus delectatur. Bonus  
ludus, qui hominibus quidem ridiculum, sed Angelis  
pulcherrimum spectaculum præbet. Bonus, inquam, lu-  
dus, quo efficitur opprobrium abundantiis & despe-  
ctio superbis. Nam reuera, quid aliud secularibus, quam  
ludere videmus, cum quod ipsi appetunt in hoc seculo,  
nos per contrarium fugimus, & quod ipsi fugiunt, nos  
appetimus: more scilicet iaculatorum & saltatorum,  
qui capite misso deorsum pedibusq; sursum erectis præ-  
ter hominum vsu sunt manibus vel incedunt, & sic  
in se omnium oculos deprimunt. Non est hic ludus puer-  
ilis, non est de theatro &c. Sed est ludus incundus, hone-  
stus, grauis, spectabilis, qui celestium spectatorum dele-  
bare potest aspectus. Hoc casto & religioso ludo lude-  
bat, qui dicebat: Spectaculum facti sumus mundo &  
Angelis & hominibus. Hoc ludo & nos interim luda-  
mus, ut illudamur, confundamur, humiliemur, donec  
veniat, qui potentes deponit, & exaltat humiles, qui nos  
lasciet glorificet, in æternum exaltet. Hæc S. Ber-  
nardus.

Ad hanc confusionem publicarum seu mor-  
tificationum classem referri potest exemplum  
cuiusdam nominati Prophetæ, quem Iosephus  
& noster Sanctus putant fuisse Michæam, ut  
probabile videtur, si conferatur cum gestis eius,  
& incarceratione eiusdem (de qua 3. Reg. 22. 8.  
& sequentibus) qui ut legitur 3. Reg. 20. 35. iussit  
se à socio suo percuti, Percute me, id est, ut bene  
explicat Tirinus, vulneta me: & ut colligitur  
ex v. 37. qui cum nolisset percutere, percussus  
est statim diuinitus à Leone, ut ipsi prædixerat

Propheta num. 36. 37. Tandem cum alterum vi-  
rum inuentum rogasset, Percute me; percussit  
eum, & vulnerauit, & ita vulneratus occurrit  
Regi Achab in via, & mutauit aspersione pul-  
ueris os & oculos suos, & dixit ei, quæ dicenda  
erant. Hic quoque est mortificatio quædam  
publica non vna, ob finem bonum ex Dei vo-  
luntate, ut dicitur v. 35. suscepta. Quod factum  
ponderans S. Chrysostomus: Quid hoc absurdum  
in iudicō  
10. 5. or. 1.  
qui percussit Prophetam euasit incolumis, qui pepercit,  
dedit penas: nimirum ut intelligeretur in iussis Diui-  
nis non oportere curiosum esse examinare, rerum, quæ  
præcipiuntur, naturam, sed nihil aliud, quam obtem-  
perare &c. semper apud te potior sit ratio, quid Deus  
præcipiat, quam quæ sit negotiorum natura. Placuisse  
autem Deo hanc confusionem publicam, patet  
tam quia Deus ipse impetauit, ut patet ex v. 35.  
tum quia morte violenta approbata est, diuini-  
tus immittit socio Prophetæ, qui noluit coope-  
rari ad illam, etsi id noluerit procul dubio ex  
pietate & reuerentiâ erga Prophetam, non ex  
aliquo malo affectu, tum quia Deus remuneratus  
est Prophetæ caræ obedientiam, & hanc  
sui publicam confusionem, curando illud vul-  
nus inflictum Prophetæ, per supernaturalem  
virtutem, uti putat Abulensis, citans pro hac  
sententiâ S. Chrysostomum tom. 5. or. 1. in lu-  
dæos, in quâ tamen id non inueni à S. Chryso-  
stomō dictum.

Huc referri potest consilio S. Petri Aposto-  
li, quam sustinuit dum esset reprehensus à Pau-  
lo Apostolo se minore, & tanquam reprehensi-  
bilis toti mundo proclamatus in Epistola ad  
Galatas: quod tamen Petrus, æquo tulit animo,  
imò & honorauit Paulum, uti sancti Patres  
ponderant. Ecce, inquit S. Gregorius, Paulus in E-  
pistolis suis scripsit Petrum reprehensibilem, & ecce Pe-  
trus in Epistolis suis asserit Paulum in his, quæ scripsit,  
admirandum. Pensate ergo, in quo mentis vertice ste-  
tit, qui illas Epistolas laudauit, in quibus scriptum se  
vituperabilem inuenit. Quæ illa mansuetudo tanta esse  
potuit: quæ quies animi: quæ soliditas atque impertur-  
batio cogitationis: Ecce à minori suo reprehenditur, &  
reprehendi non dedignatur. Non ad memoriam reuo-  
cat, quod primus ad Apostolorum vocatus est, non quod  
claves regni cælestis accepit, non quod peccata quæcun-  
que in terrâ soluerit, essent soluta & in cælo: non quod  
in mari pedibus ambulauerit: non quod paralyticos in  
Iesu nomine iubendo erexerat, non quod egros corporis  
sui vmbra sanauerat, non quod mentientes verbo occi-  
derat: non quod mortuos oratione suscitabat. Ne igitur  
increpationis verba dedignaretur audire, omnia bona,  
quæ acceperat, quasi à memoria repulit, ut vnum forti-  
ter donum humilitatis teneret.

Cum ergo & Deus publicas mortificatio-  
nes, valde magnam confusionem adferentes, &  
Sancti magni omnibus seculis, partim Dei iussu  
expresso, partim propria voluntate ex Spiritus  
sancti impulsu, eas & præscripserint aliis & ipsi  
in se adhibuerint; & ipsi Ethnici prudentiores

Hebr. 12.  
lib. 2 de  
pen. c. 6.  
Vide S.  
Chrysof.  
h. 8 in ep.  
Hebr.

magnam hac in re honestatem agnouerint, amanda sunt quaerendaque tum ob augmentum meriti, tum ob exemplum Christi, qui, ut ponderat Apostolus, *sustinuit crucem, confusione contempta*. Nam, ut ait S. Ambrosius, *Totum decet, quicquid deservit Religioni, ut nullum obsequium, quod proficiat ad cultum & observantiam Christi, erubescamus*. Et, ut monet S. Ioannes Climacus discipulus de antiquorum publicis mortificationibus, confusionis causa susceptis, quibus mundano fastu pleni offenduntur, *Non metuent, inquit, qui huiusmodi sunt, neque curabunt hominum offensam. Vbi enim Dominus nos audire paratus est, ibi omnia facere tunc valeamus: praestat enim contristare homines quam Deum. Gaudet quippe Deus cum nos conterenda vanissima elationis causa prompte videt ad ignominias currere. Hoc in Diogene etiam laudavit S. Basilius, dum eum laudat ob contemptum omnium rerum mundanarum, inter quas erat contemptus bonae existimationis & famae: & S. Hieronymus eum appellat, *natura victorem humane*.*

orat. de  
legend.  
lib. gentil.  
infor.

l. 2. ad ho.  
uinian.

## CAPVT QVINTVM.

*Quas ob causas tantoperè placeat Deo nostri confusio?*

42.

**Q**uod si quaeras, quam ob causam tantoperè Deo placeat, & nobis proficit, nostri ex Dei amore quaesita confusio atque contemptus?

Respondeo, duas praecipue huius rei causas esse. Primò, quia per nullam rem magis virtus profundae humilitatis, se prodit, adeò Deo accepta (vbi supra capite secundo ostensum est), quemadmodum per confusionem nostri, vel sponte quaesitam, vel infectam ab aliis libenter toleratam, quam sanctus quidam Abbas, apud Ioannem Climacum, esse ita Religioso necessaria dixit, sicut est necessaria aqua bonae & frugiferae terrae, ut sit fructuosa. Est enim omnibus hominibus innatus, instar cuiusdam fomitis, ingens laudis, gloriae & honoris appetitus, in quo expugnando humilitas laborat, cuius humilitatis praecipua proprietas est, ut S. Climacus docet, *ignominia suavisissima & dulcissima perpestio*.

43.

Ab hoc autem nostra natura vehementer abhorret, sed ad cupiditatem laudis, honoris, & gloriae vehementer propendet. Ideò Cassianus & S. Bernardus, libro de ordine vitae, hoc vitium aiunt esse in peccato primum, & in consuetu vitium. & S. Climacus gradu 25. ait, *Naturam non facile ab appetitu gloriae posse seruari illasam: vsque adeò, ut solo naturae lumine edoctus Tacitus, scriptum reliquerit, gloriae cupiditatem, etiam Sapientibus nouissime exui*. Cum ergo per confusionem & contemptum nostri hic appetitus glo-

44.  
Cassian.  
l. 12. c. 1.  
Bern. de  
ord. vit.  
col. 11.  
l. 4. hist.

riae, & gloria ipsa, ac honor per humilitatem prosteratur, adeò carus, & gratissimum inde sacrificium Deo offertur, heroicae humilitatis cōditum.

riae, & gloria ipsa, ac honor per humilitatem prosteratur, adeò carus, & gratissimum inde sacrificium Deo offertur, heroicae humilitatis cōditum.

Secunda causa est, efficax amor, quem erga Deum ostendunt sui confusionem, ex Dei amore quaerentes. Bene enim ait S. Diadochus, *Oportet nos omnem honorem atque gloriam contemneri, propter excellentes diuitias amoris erga Deum, qui vere nos amat*. Quibus verbis Sanctus iste, & eximius vitae spiritualis Pater, docet non qualemcunque erga Deum amorem, sed diuitem, & excellentibus diuitiis plenum in nostri confusionem, & in conculcatione proprii honoris ac gloriae contineri. *Probrum autem, & dedecus quid sit ignorat charitas, inquit S. Chrysolomus, imò de eo gloriatur. Ideò Apostolus nolebat in vlla alia re gloriari, etiam postquam in Cruce Christi, poterat, ait S. Augustinus, gloriari in sapientia Christi, & verum diceret, poterat in Maiestate: poterat in potestate, & verum diceret, sed dixit, in Cruce. Vbi mundi Philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum reperit, ut qui gloriatur in Domino gloriatur. Quo Domino: Christo Crucifixo: vbi humilitas, ibi maiestas: si vis ad illam venire, noli ista contemneri, noli erubescere: idem in fronte, tanquam in sede pudoris, signum crucis accepisti. Vere enim scripsit S. Ignatius, amorem suum esse, in mutua rerum communicatione. Qui ergo Deo offert, rem sibi charam, maxime in se radicatam, ad quam maxime propendet natura, opulentum Deo munus & donum offert, dum eo, pro eius dilectione, se priuat. Nam, ut Christus dixit S. Brigitta, *Allud est acceptius Deo, quando hoc ei offertur, quod homo magis diligit, & vnde alij possunt plus ad animam edificari. Ergo hoc dandum est Deo, quod homo charius habet suae affectu suae corpore*. Cum ergo charissimus sit homini honor, laus, gloria, bona fama; & ut ait S. Bernardus, *cum rationalis creatura, adeò affectu gloriam, ut aut vix, aut nunquam ab hoc compesci desiderio possit, quippe quae ad imaginem facta est Creatoris, dum per confusionis actus gloriae & famae se priuat, vel saltem priuare conatur, rem Deo charissimam offert, & genus quoddam inuerti Martyrii subit. Occidit enim in se affectum maxime viuum, & in paucis omnino Sanctis multò ante corporis mortem, gladio abnegationis & mortificationis occidi solitum. Quae occisio rei nobis maxime charae, plurimum placeat Deo. Hinc B. Maria Magdalena de Pazzis aiebat, *Deum a suis creaturis exigere rectam mortem, & sine illa mihi fieri: & qui accedit ad seruitum Dei, cum aliud non facere, quam per mille vias & modos quouis momento sibi mortem inferre. Quod hac ratione declarabat: Vita nostra carnis est voluptas, & sensualitas: mors carnis est adimere illi omnem delectationem, & gustum, & domare illam ieiunio, vigiliis, & aliis asperitatibus. Vita iudicij & voluntatis propriae, est disponere de se, & rebus suis proprio arbitrio: mors eius est subistere hac iudicio & voluntati aliena*.**

45.

cap. 11.

46.

tom. 1.

181. cl.

contem.

de Ame.

10.

lob. 4.

lob. 9.

47.

48.

fet. deni.

plici glo.

11.

apud

troph.

cap. 7.

49.

73.

na. per obedientiam. Ita inferitur motus appetitui proprie reputationis & superbia, faciendo perpetuo actus humilitatis vera & contemptus sui, & occultando nos ne cognoscantur. Et similem mortem debet sibi quisque inferre, qui verè vult Deo seruire: & decipiatur, qui putat allaturum sibi hanc mortem, melle & lacte dulcedius interire & externa; quia fieri non potest, quin sentiat magnum dolorem, qui verè moritur, vt Deus viuat cum eo. Dicebat, non mereri vt quis dicatur seruire Deo si in hoc seruitio non patitur & non laborat: & qui querit Deum in gustibus, in quibus non inuenitur, sed in vera virtute, que habet locum proprium in laboribus afflictionibus; & illos tantum gustus esse & stimulos, qui addunt animum ad laborandum, & ad patiendum libenter, ex desiderio honorandi Deum, & implendi eius voluntatem. Inter omnia autem patiendi genera & Deum honorandi, meo iudicio, nullum est generosius, quam per nostri confusio, & contemptum, quia hæc maxime sentit, & ab his maxime abhorret vitia in nobis natura, vt infra ostendam; & experientia quotidiana docet in multis, qui malunt facere iacturam gratiæ Diuinæ & cælestis gloriæ, non tantum vocationis Religiosæ, ne patiantur quædam, quæ eos confundunt; & contemptibiles reddunt, ac viuentes sine illo honoris, laudis & gloriæ gradu, ad quem inordinatè consequendum aspirant. Vnde & patientissimus Iob, iniquè ferebat confusio, Nunc, inquit, desiderant me iuniores tempore. Et ab ipso Deo in suis laboribus irrideri, tam grauitè ferebat, vt ipsam mortem præoptarit, Si flagellat, inquit, occidat semel, & non de præis innocentiū iridear. Hinc Philistæi captum Samsonem non occiderunt, sed oculis effossis ad molam asinariam, relegarunt, quia, vt ait Abulensis non reputabant completam vindictam, si eum occiderent, ideo conati sunt accipere eum viuum ad illudendum ei. Quasi multo acerbior illis videatur irrisio eius, quam occisio. Vnde & Saül maluit occidi quam irrideri & confundi: Euagina, inquit, gladium tuum, & percutite me, ne veniant incircumcisi isti, & interficiant me illudentes mihi. Grauis enim erat, inquit Abulensis, Saülis pars ludibria, quam tolerare, per mortem enim laborum suorum finem inueniret, per ludibria verò acrius cruciaretur & diutius in hac vitâ. Hominihus honesto loco natis, inquit auctor vitæ S. Eustachij, afflictione quauis & calamitate laboribus, & perpeffionibus, & quauis re molestâ, grauius est dedecus. Sic Abimelech cum fragmine molæ iactò, mulier confregisset eius caput, vocauit eum armigerum suum, & ait ad eum: Euagina gladium tuum, & percutite me, ne fortè dicatur, quod à femina interfectus sum. Vbi Lyranus Plus, inquit, formidauit opprobrium, quam gehennam. Amor tamen Dei piè obsecrat homines Deum amantes, & quasi stultos facit, vt contemnant fastum, & confusio, quærant. Amor intemperans, inquit S. Bernardus, facit hoc. Nempè is est, qui omnem in se triumphans captiuum, pudoris sensum, conuenientia modum, deliberationis consilium,

totius modestia & oportunitatis neglectum quandam & quandam incuriam parit. Et alibi vocat amorem Dei præcipitem, vehementem, flagrantem, impetuosis, qui præter Deum aliud cogitare non sinit, fastidit cetera, contemnit omnia præter eum, eo contentus. Confundit ordines, dissimulat vsu, modum ignorat, totumque oportunitatis, quod rationis, quod pudoris, quod consilij iudicis videtur, triumphans in semetipso & redgens in captiuitatem. Et quamuis tales confusiones mundanis stultæ & Deo indignæ res videantur, tamen resumendo phrasim istorum, confusions propter Deum amans dicat cum Tertulliano l. de carne Christi c. 5. Quodcumque Deo indignum est, (mundi fallacis iudicio) mihi expedit: saluus sum si non confundar de Domino meo. Qui me inquit, confusus fuerit, confundar & ego eum. Alias non inuenio materia confusions, que me per contemptum ruboris probent bene impudentem, & feliciter stultum. Bona ergo ista impudentia & felix stultitia est, confundi pro Christo. Et hoc sensu dici potest bene dixisse Menandrum apud Clementem l. 6. Stromi. Adeste semper non conuenit prudentiam: phrasi illâ Apostolicâ 1. Cor. 3. 18. si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, vt sit sapiens.

Saül pluris fecit honoris, quam regni & aliorum honorum iacturam. Cum enim ei Samuel Propheta denuntiallet, regnum perditum, Dei gratiam, amissam, ipsum à Deo exauctoratum, id non curauit, sed illud vnicum sibi cupiens retentum, dixit 1. Reg. 23. 36. Nunc honora me, coram Senioribus populi mei & coram Israël. Quomodo vana gloria superanda, ostendit S. Chryost. h. 43 ad pop. col. 1. & cur honor non quærendus sed contemptus, col. 1. & 2.

Est etiam altera causa, ob quam magnus erga Deum amor ostenditur per nostri confusiones, quia per eas maximum, vt ita dicam, bonum nostrum politicum Deo offertur, scilicet, honor, fama, laus, gloria, bona existimatio apud alios. Siquidem, vt docet S. Thomas, inter res exteriores hominis, simpliciter & absolute maximum est honor, ob quem assequendum homines, & vituperium vitandum, alia omnia postponunt. Et alibi idem ait, Nihil posse esse in humanis rebus & corporalibus maius honore. Hinc & Cicero, Natura, inquit, nihil præstantius habet, quam laudem, quam dignitatem, quam decus. Et Aristoteles ait, honorem esse bonum inter externa maximum. Quocirca si dum Christi amore diuitias relinquimus, promissum à Christo Regnum cælorum habemus: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Et, omnis qui reliquerit domum vel fratres, & vitam æternam possidebit: si ex amore æquali per confusio, maioris boni se pro Christo priuabit. Siquidem teste Spiritu sancto, Melius est nomen bonum, quam diuitia multa. Bonâ existimatione passim sese assumdente,

[79. Câr.

52c

2. 2. q.

129 a. 10

2. 2. q.

103. a. 1.

ad 2.

Tulc. 3.

1. 4. Eth.

cap. 3.

Matth. 5.

Matt. 19.

Prou. 12.

53. dente, inquit S. Ildorus Pelusiora, Melius ac praestantius nihil est, nec Croesi thesauros quisquam cum ea comparare queat. Ac proinde à Prouerborum auctoritate dictum est: Melius est nomen bonum, quam diuitis multae super aurum & argentum gratia bona. Id eò infamiam refugit amor proprius, usque ad eò vt Aristoteles scripserit, Turpe esse, non timere infamiam; qui enim eam timet, modestus ac verecundus est; qui non timet, impudens est. Ac in scholà Christi hoc locum non habet: fortis viri & Diuini est, non timere, immò pro Christi appetere infamiam, eam nostri causa passio, eique iacturam honoris, bonae opinionis & famae offerre. Difficilius enim est, vt ait, molestia sustinere, quam à iucundis abstinere. Facilius quis mille talenta sponte dabit, inquit S. Chryostomus, & nihil se passum esse putabit, quam vt tres obolos praeter animi sententiam abreptos, mansuetè seruet. Itaque istud magis est animi Philosophia. Imò multi minoris faciunt iacturam vitae potius, quam honoris, quam confusionem & sui contemptum. Scio, inquit Seneca, quosdam dicere, contemptu nihil esse grauius, mortem ipsi potiore videri. Famam enim rem esse propè diuinam dixit Aechines; efficeretque beatissimum cui contingerit, ait Pindarus. Vnde S. Augustinus vocat crudelem, qui confidens vitae suae, ac conscientiae, negligit famam suam. Multi, inquit S. Chryostomus, ad laqueum conuolantur, famae opprobria non ferentes. Apparuit hoc inter alios, in Iudaea, qui, vt ponderat Cardinalis Bellarminus, Non ferens confusionem, qua suffunditur eum, necesse erat, si cum Apostolo vel Discipulo alius versari voluisset, laqueo se ipse suspendit. Hinc Salomon ait, rixas amicorum tranquillari posse, dummodò confusio & contemptus absit. Ad amicum, inquit, est produxeris gladium, non desperes, est enim regressus: si aperueris os triste, non timeas, est enim concordatio: excepto conuicio & improprio. Ideò & Theologi & Iurisperiti eximij docent, sine peccato posse virum honoratum, magni nominis, occidere iniquum inuaforem, etiam si pollet fugae euadere eius inuafionem, eò quòd respectu illius viri honorati, etiam si alias sit humili loco natus miles, maius malum sit confusio, quam incurteret per fugam, quam ademptio vitae iniusti inuaforis. Quae etiam Ethnicorum erat haec de re sententia. Vnde Cicero, b Adolescentem quendam, qui Tribunum occiderat, volentem vim inferre eius pudicitiae, ait fuisse absolutum à Mario exercitus Imperatore. Ideò David in & vit. l. 3. personam Christi patientis, tamquam rem quandam maximi momenti, & Deo lumme charam, Deo repraesentat: Tu scis improprium meum, & confusionem meam, & reuerentiam meam. Quod explicans Cardinalis Bellarminus in Commentario Psalmi huius; Vocat, inquit, ipsum Deum in testem sua passionis, qua in ignominia consistit. Nobiles enim animi plures faciunt ignominiam quam dolorem corporis. Tu scis, inquit, improprium meum, id est, quae impropria in me iaciant aduersarij, & confu-

sionem meam, id est, confusionem, qua nascitur ex opprobrijs. Confunditur enim apud alios non salum, qui culpam veram agnoscit, sed etiam, qui sine culpa est, sed videt credi ab alijs crimina, quae sibi falso obiciuntur. Et reuerentiam meam, id est, verecundiam, quae ex confusione oriri solet: erubescunt enim, qui apud alios confunduntur, et si iniuste confundantur. In Hebraeo est vox (chebnima) qua verecundiam significat: & verecundiam hoc loco legitur S. Hilarius. S. Augustinus. Euthymius & alij. Quare vox (Reuerentia) qua habetur in nostrà editione, non significat reuerentiam, qua debetur Christo, sed reuerentiam, quam ipse in se habebat, id est, erubescentiam & verecundiam. Haec Bellarminus. Magnam ergo sacrificium Deo offert, qui pro eius amore, humiliationis res exhibendo, sibi verecundiam & erubescentiam parit, ac confusionem incurrit. Ideò non sine mysterio, tanquam omnium rem maximam Apostolus ponderat in Christi morte, quòd sustinuerit crucem confusionem contemptam. Non ait, vita contemptam, quia plus est pati honesto & innocenti iacturam honoris, famae, bonae apud alios opinionis, quam vitam. Ideò sancti viri, vt supra vidimus, & infra videbimus, magno conatu sui confusionem querebant & contemptum. Quia, vt bene animaduertit Bernardus Iustinianus, in vita B. Laurentij Iustiniani, magni amatoris, sui confusionis & contemptus. Non est tanta virtutis honores contemnere, quam contemptum appetere. Plus est enim, vt male effici negligas, quam vt bene effici non cupias. Ceterum illud summa perfectionis, vt male affici desideres. Quare mirum non est, S. Franciscum Xauerium inter tot labores & curas, scribentem ex Iaponia ad socios Goanos, hac inter alia eis inculcasse verbis efficacissimis: Oro vos, atque etiam abestor, per Christum Iesum Dominum nostrum, vt in abiectis atque humilibus officijs demum egrege superare nitamini. Et supra: diligenter colite humilitatem, omnibusq; in rebus, à quibus deprauata natura abhorret, vos ipsi vincite. Et infra: Deus humiles erigit, ac roborat, eos praesertim qui in rerum etiam humilium atque abiectarum tractatione, tanquam in speculo, infirmitatem inueniunt sitam, seq; ipsos in eisdem egrege vincunt.

Quaerant ergo Dei serui, tales humiliationes & confusiones sui, si quidem Deum amant, & sciunt eas esse Deo acceptas. Nam, vt dixit magnus ille Acaeus apud Theodoretum in religiosa historia; Est proprium amanti illa facere, quae cum sunt, eis qui amantur grata sunt. Et alioqui non paruum est periculum, multorumq; & magnorum illorum sudorum detrimentum, si pati potueris negligere, tacitus praeterire, vt non erubescant talia memoria Christi dicti: Qui me erubuerit, hunc filius hominis erubescet.

Excellit hac in re B. Laurentius Iustinianus, dum in religioso Ordine viveret. Nam cum de corpore exisset ad petendum panem cum Maphaeo, suo postea in Patriarchatu Veneto successore, forte accidit vt frequentiora verba (Veneta) loca penetrarent. Sensit

eam Laurentium motum loci celebritate, & declinare homines cupientem: *Maphee*, inquit, quid mouerit? *Adamus* constanti gradu. Nihil enim profecimus, si reliquimus verbo mundum, nisi etiam opere declaramus. Eamus cum saccis istis ac si crucibus, & gloriosum hodie de seculo triumphum referamus. Merito ita se vicit. *Vile enim est*, inquit *S. Cyrillus*, pro cultu Diuino pudorem deponere. Nam si causa pecunia sunt impudentes nonnulli pro causa salutis nos decet bonam inducere impudentiam.

61. in Carca Luc. 18. 62. reg. futa. 10.

Sanè *S. Basilii*, eum, qui Religionem ingredi vult, probandum ait, An sit paratus libenter, ad omne humilitatis genus descendere (ac proinde ad illa quoque, quæ pudorem incutiunt, & nos honestè confundunt coram aliis) idque vult fieri, missa omni verecundia, ita videlicet, ut si dilsissima quoque artificia suscipere non recuset. *Et c. maxime autem ei*, qui à splendido aliquo vita genere, ad imitandum modestissimū humilitatis *D. N. Iesu Christi* exemplum festinant, munera quedam præscribi debent, de numero eorum, quæ illi sordida astimant, qui in ciuili vitâ versantur: obseruandumq; num in eis, cum omni animi alacritate, non erubescerent & inconfusibilem se Deo operarium exhibeat. Hæc *Basilii*.

CAPVT SEXTVM.

De moderatione in confusioibus quærendis adhibenda.

NE in his confusioibus publicis erroribus, duorum habenda est ratio: Primum, ne fiant sine approbatione Superiorū. Superiores enim habebunt respectus personarum, quæ se confundere cupiunt, & eorum, coram quibus, sui confusioem querere volunt; tum loci & temporis, tum ipsarum confusioem, ne suscipiantur alienæ à sui status vel ordinis spiritu, & procedendi modo, ne potius sint admittendæ, quam imitandæ, & magis destruant, quam ædificent, præsertim personas primarias, & locorum dominos, ne illis incisi & inuitis inuehantur ludicra, & bilem loco ædificationis excitent.

63. 64. scim. 17.

Ideo in nostrâ Societate cum *Reg. 40.* Magistro Nouitiorum esset præscriptum, vt inter mortificationes publicas, vestes adhibeantur viliores, addit, *Reg. 41.* vt id fiat quantum consuetudo officiorum & personarum circumstantia patientur. Ad Superiorem recursus, præterquam quod impedit excessum in confusioibus, prodest etiam magis ad meritum & profectum in virtutibus, quia *S. Dorotheus* ait: *Sua sponte ad vilia quoque exercitia currere, non est admodum magni profectus, quin etiam fieri potest, vt inanis & vana sit gloria: at cum vile tibi aliquid & contemptibile præcipitur, neque repugnaueris, aut contradicis, sed cum omni mansuetudine & obedientiâ iussa capessis & facis, tum per illud sis ad profectum.*

Secundò, ne etiam cum licentiâ extortâ in-

discretè confusio queratur, non consentanea Apostolico spiritui, sed eremitico, suum tantum non alienum, profectum querenti. Talis erat mortificatio & confusio eorum, qui, vt confunderentur, mentiendo sibi aliquos defectus adscribebant, commemorati & laudati à *Climaco*. Ita enim, inquit *S. Augustinus*, cauenda est arrogantia (& mortificanda) ne veritas relinquatur. Incaute enim humiles sunt, iudicio *S. Gregorij Papæ*, 1. 26. mbr. qui se mendacio illaqueant, dum arrogantiam vitant. Immo mentiendo superbiunt, quia contra veritatem se erigunt, quam relinquunt.

64. tr. 41. in Ioan. cap. 1.

Talis erat mortificatio cuiusdam senis apud *S. Climacum*, qui veste reiectâ, absque vllâ passione, quippe castissimus ciuitatem circūius nudus; & alterius senis ab eodem insinuat, sed à *Michaële* Iffeltio eius commentatore fultus descripti, quæ eum Iudex quidam, famâ eius sanctitatis motus, videre velle, ille id præsentiens, panem & caseum sumpsit in manibus, & portam Monasterij ascendit, ibiq; diuaticatis pedibus cepit manducare: quæ cum Iudex vidisset, indignatus, Hiccine est, ait Anachoreta ille de quo tanta audiuimus: contemnens eum discessit. De alio quoque senè in *Vitis P. P.* scribitur: Cum honoris causa ei occurrissem, quidam cum lampadibus, despolians se, vestimenta sua misit in flumen, & cepit ea lauare stans nudus: ille autem qui mimistrabat ei erubuit, & rogauit homines, dicens: Reuertimini, senex enim noster sensum perdidit, & veniens ad eum, ait illi: Abba, ad quid hoc fecisti? omnes enim qui te viderunt, dixerunt: Quia demonem habet Senex. Cui ille, & ego hac volebam audire.

64. 6. p. 1. c. 73. Chr. S. Fran.

Talis erat mortificatio *S. Francisci*, qui lutum pedibus calcabat, vt honorem & venerationem fugeret, quâ illum afficere volebant: & de *Fratre Iunipero* scribitur, eum eodem sine pueriles lusum cum pueris luisse.

cap. 6.

Eandem ob causam *S. Franciscus* nudatus in platea publicâ, coram multis, retentis femoralibus, fune ad collum alligato se trahi præcepit, vsque ad saxum, quo facinorosi puniendi collocabantur, indeque cunctis audientibus se carnalem & gulosum proclamauit, teste *S. Bonaventura* in eius vitâ, quæ confusio viro sanctissimo coram Deo valdè profuit: sed hoc deprauato sæculo imitanda non est ab vllò.

cap. 6.

Talis erat mortificatio *B. Iacoponi* eius socij, qui plumis verficoloribus coopertus, fratris nuptias celebrantis domum ingressus, eas turbauit, vt scribit *Ioannes Baptista Modius* in eius vitâ.

His annumerari potest in hoc genere noster *P. Gonzalvus Silueria*, alioqui vir magnæ sanctitatis & Martyr, qui, vt scribitur à *Nicolao Godigno* in eius vitâ, coram *Gynecæo Regina* Lusitanæ *Catharinæ* (quod conuenerat ad audiendum eum de rebus diuinis) ex sui contemptu desiderio, veluti à potestate mentis detestus, cepit vultum variè immutare, diuersas oris & corporis induere figuras, saluam in barbâ demittere,

1. 3. cap. 6. medio

modis mille insignem simulare fatuitatem, quanquam ars non profuit. Agnouerunt enim eum id sui confundendi studio fecisse.

Schot. in  
vii. Bor-  
gia.  
l. 1. c. 4.  
num. 10.

Reprehensionem merita est illius fratris confusio, qui in vitâ B. Borgiæ nostri scribitur præfente B. Borgiâ, vt in se flagello læuaret, ingressus cænaculum ferè nudus, quam ob rem B. Borgiâ pœnam ei inflixit.

cap. 14.

Talis fuit & illa confusio, quam refert Palladius in Historiâ Lausiaca, de Serapione Sindonite, qui quandam Virginem Romanam hortabatur, vt sublatis in humeros vestimentis propriis, mediam pertransiret nuda Urbem, & se idem facientem sequeretur, dicens: Inde se intelleturum, num verè esset mortua mundo, quemadmodum profitebatur.

Hanc ob causam prudentissimè S. P. N. Ignatius, cum efficaciter commendasset nobis, vt magni faceremus summis, momenti id esse duceremus, tanquam rem magnopere iuuantem ad vitæ spiritualis profectum, omnino & non ex parte abhorre ab omnibus, qua mundus amat & amplectitur, & admittimus, & concupisceremus quicquid Christus D. N. amauit & amplexus est, nimirum contumelias, falsa testimonia, & iniurias, pati, ac vultu haberi & existimari; subdit, ad frænandum nimium feruorem & excessum: ita tamen ne ad id illam demus occasionem. Idem Reg. 40. Magistris Nouitiorum præscribitur, ne fiant mortificationes publicæ, nisi ordinariæ iuxta Constitutiones: & inter enumeratas ibi, & hic supra, cum sit mentio vestiu viliorum, quæ gestari possunt à Nouitiis, additur eas tales esse debere quæ Religiosos deceant. Nā si indecentes gestarentur, daretur occasio alicuius iudicij temerarij, vel irrisionis culpabilis sæcularibus ad talia pronis: quod cauendum est. Idem S. Ignatius dum in 2. par. punct. 3. medit. de duobus vexillis, commendat abiectionem nostri & ignominiam ob Christi imitationem, subdit: deprecando tamen culpam aliorum, ne contemptus mei, tam in alicuius detrimentum, quam in offensam Dei cedat. Quod tamen intelligit de nostri contemptu quaesito, sine datâ ex parte nostrâ vllâ culpabili vel imprudenti occasione.

#### CAPVT SEPTIMUM.

De silentio in Confusionibus ex accusatione ortis seruando.

65. Vltimum confusionis quaerendæ modum dixi esse arctum silentium, tunc dum accusati sumus, & præsertim ad Superiores delati iniquè & reprehensè, & ab iis non interrogamur, vt quemadmodum res contigit narremus. Tunc enim silentium est omnino, & pro Christo iniquis accusato, ferenda æquo animo accusatio, & inde orta mala de nobis apud Superiores alioſue opinio & reprehensio. Hac

enim ratione, multum profectio nostræ accedet. Idem Cassianus, inter multa monita, quæ dat ad perfectionem assequendam, ponit etiam hæc: Si tibi vel cuiquam conuicia, si irrogantur iniurie, esto immobilis, & ad responſionem rationis, vt mutus ausculta, semper hunc Psalmistæ versiculum in corde tuo decantans: Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua meâ. Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator aduersum me, obtusui & humiliatus sum, & filius à bonis.

Sed vt hac in re Sanctorum vestigiis insistamus, duo explicanda sunt: Primum, quibus modis silentium hoc valdè & iucundè in Dei auribus sonorum, seruandum sit. Deinde quis mentis nostræ status esse tunc debeat, dum scimus nos, siue iustè, siue iniustè, delatos, & eam ob rem vehementer nos erubescere & confundi sentimus. Quoad primum, plures quam 60. modi silentij in talibus occasionibus seruandis, suse à me explicati sunt, & Sanctorum exemplis ac dictis illustrati in alio Opusculo: hic tantum duodecim silentij modos breuiter commemorabo, quos & plures alios operæ pretium puto legi in Opusculo de modis seruendæ Christi crucis accuratè à me explicatis, in gratiam eorum, quos Deus eadem, quâ Filium suum, viâ ducit ad cælum.

Primo noli te excusare seu purgare directè, si id à te non exigitur, si non teneris sub peccato te purgare, præsertim si non auditus condemnaris.

Secundo. Dum interrogaris ab eo, qui habet ius sciendi an deliqueris, ad id tantum præcisè responde, quod sufficit ad satisfaciendum interrogatori, non commemoratis aliis rebus, vel circumstantiis, quæ magis possunt declarare innocentiam tuam, aut aduersarij culpam, nisi certò præsumas Superiorem scire velle omnes rei circumstantias, tunc enim manifestandæ essent omnes.

Admirabile præbuit huius rei exemplum ancilla Sara Agar, quæ cum fugam inisset, eò quod affligeretur à Sarâ, & inuenta ab Angelo in solitudine ac interrogata: Agar ancilla Sarai vnde venis, aut quo vadis? sicè respondit: A facie Sarai Domina mee ego fugio. Vbi S. Chrysostomus, h. 3. in Vide, inquit, quomodo citra odium meminit Domina. Gen. non dixit: male affluxit, non dixit: Grauiam mihi fecit non possum ferre molestiam eius, idem fugam inij, sed solum se ipsam & fugitiuam accusauit. Sic & nos faciamus. Verum si Superior velit scire omnia prorsus, studio obedientiæ, sine desiderio vindictæ, dicenda sunt omnia. Hoc modo S. Eugenia Virgo, cum spreto sponſo profugisset, seruandæ virginitatis causâ, & masculo habitu vltè inter Monachos se abdidisset, stupri accusata, coacta fateri quæ esset, tandem martyrio affecta est cruento post incrementum calumniæ.

Tertiò. Noli te purgare etiam coram iis, à quibus scis, vel suspicaris, te accusatum, sed dissimula.

simula. Quod etiam Politici faciunt ex superbia, quia sic putant se non esse laesos, & ostendit id, ut qui afflixit, putet se non intulisse molestiam, quam intendebat inferre: multo ergo magis pro Deo idem est faciendum, quod alij ex vanitate faciunt.

Quarto. Ne coram iis te purga, qui additi sunt accusatoribus tuis. Eadem causa & hic locum habet, quae in priore puncto. Difficile tamen est id amori proprio, qui purgatione sui, quaerit iustificationem, quam ex ea assequitur. Hinc merito Beatissima Virgo dixit S. Brigittae: *Quid dolorosus apud mundiales, quam iniuriam suam dissimulare, & omnibus se credere & tenere indigniorem & humiliorum?* Ita plane mundanis hoc difficile est. Sed S. Ambrosius ponderans illud Ps. 37. 14. Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum, iustus, inquit, accusatus tacet, laesus remittit, dissimulat laesum. Hoc suavit Beatissima Virgo Maria S. Brigittae: *Auditus verbis impatientiae, dissimulato in quantum iustum est, audita tanquam non audita.*

Quinto. Nec coram non additis te purga, si tales sint, qui si scirent, te esse innocentem sponte sua te purgant & defenderent. Talis erat Anna, cui etsi aemula eius insultaret i. Reg. 1. & probris afficeret, tamen ut ponderat S. Chrysostomus h. 24. in ep. Ephes. *Etsi haberet maritum feruentem sibi melius, quam faceret 10. filij, tamen ei non dixit, quod me probris afficit ancilla, me defende & vindica.* E contra vero facit Sara. cum enim ab ancilla ob sterilitatem despiciatur haberetur, coram viro quæsta est de illa, & de viro: *Iniquè agis contra me, ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quæ videns conceptus, despiciatur me habet, iudicet Deus inter me & te.*

Sexto. Nec coram iis te purga, qui etsi te non purgant, tamen scientes tuam innocentiam, & tui accusationem, compaterentur tibi, & compassione sua leuiorem tibi redderent sensum crucis & confusionis tuæ. De hoc potest intelligi secretum B. M. Magdalene de Pazzis, quæ solebat dicere (ut scribit in eius vita P. Virgilius Ceparijus) *Nos debere habere semper aliquid occultatum à creaturis, scilicet aliquam mortificationem, vel materiam patientia alius ignotam, sed soli Deo notam, propter quem quotidie nos debemus mortificare.* Et hac via acquisiuit animam imperturbabilem, & continuam Dei presentiam. Pulchrè hoc declarat S. Thomas: *Naturaliter amicus condolens in tristitia, est consolatiuus; cuius duplicem rationem tangit Philosophus: quarum prima est, quia cum ad tristitiam pertineat aggravare, habet rationem cuiusdam oneris, à quo aliquis aggravatus alleviari conatur. Cum ergo aliquis videt, de sua tristitia à alio contristatos, sic ei quasi quædam imaginatio, quod illud onus alij cum ipso ferunt, quasi conantes ipsum ab onere alleviare, & ideo leuius sit tristitia onus: sicut & in portandis oneribus corporalibus contingit. Secunda vero & melior est, quia per hoc quod amici contristantur,*

*& percipit se ab eis amari, quod est delectabile: unde cum omnis delectatio mitiget tristitiam ( ut ostendit q. 32. a. 1. ) sequitur quod amicus condolens, tristitiam mitiget.*

Septimo. Nec coram iis te purga, qui nec te purgant, nec tibi compaterentur, quia sola nuda narratio aduersitatis eam sine alio refrigerio reddit minus molestam. Vnde Horatius lib. 1. epist. 1.

*Sunt verba, & voces, quibus hunc lenire dolorem, Possis, & magnam morbi deponere partem.*

E contra proptus silendo, dolor magis affligit. Hinc S. Bernardus: *Suppressus dolor, altius introrsus radicans, èd acerbius factus, quod non est exire permittitur.* Et S. Thomas tractans de remediis tristitiae, 1. 2. q. 38. ait: *omne nociuum interius clausum magis affligit, quia magis multiplicatur intentio anima circa ipsum, sed quando ad exteriora diffunditur, tunc anima intentio ad exteriora quodammodo disgregatur, & sic dolor minuitur interior.* Et propter hoc quando homines, qui sunt in tristitia, exterius suam tristitiam manifestant, vel fletu aut gemitu, vel etiam verbo, mitigatur tristitia. Declaravit hoc pulchrè similitudine S. Nilus Abbas: *Ut nubes dum dense sunt & obscura, tum aquis turgent, at postquam eas effuderunt, à se recedunt & exonerantur, clarescunt & splendide fiunt: sic quamdiu quis à tentationibus suis onustus & grauis incidit, in magna tristitia confusus angoribus uiuit, & melancholia oppletur: at hoc onus à se excutiendo, quando id exsillat, & à se abiicit, & alteri manifestat, cor alleviatur, tristitia mitigatur, homo quiete & gaudio delimitur.* Et Petrus Blesensis, *Dolor, inquit, speciem ignis gerit, quia dum plus regitur, plus ignescit.*

Octauo. Nec in hora mortis te purga, Deo dona tuam infamiam. Nam si Deus voluerit, inueniet post mortem modum te purgandi, prout fecit cum S. Marina, & cum tot aliis Sanctis.

Nono. Nec in genere dic, talia solere homines pati, & talia, si inde tunc colligere possit qui audit, te tunc aliquid pati. Hoc enim æquiualeret primis illis modis prodendi crucem, de quibus supra dixi. Sed potius ostende signis externis te nil pati, ut sunt læticia, fuga solitudinis solito maioris, conuersatio beneuola cum tuis accusatoribus, & his similia.

Decimo. Noli inquirere, quis auctor fuerit tuarum aduersitatum, quibus viis, vel modis eas inuenierit, quos habuerit adiutores. Hæc enim expetit scire amor proprius, & cor impatientis, & hac ratione homo disponitur in actu primo ad affectus inordinatos erga auctorem, & cooperatores nostrarum confusionum, à quo longè abesse debet is, qui Christi crucem amat, quam ita amare debet, ut moraliter sit impotens ad habendos affectus inordinatos erga tales, uti fuit Ioseph ad peccandum, dum dixit impuræ Domine: *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum? id est non possum: iuxta illud: Omnis qui natus est ex Deo, peccatum*

1. 4. Ren. ep. 24.

Gen. 11.

h. 13 in Gen.

1. 4. q. 28. 2. 3. 9. ethic. cap. 11.

1. 2. 6. in Cant.

1. 2. q. 38. a. 2.

orat. de interemp. Saa. Sin.

ep. 49.

Genes. 39. 9. 1. Ioan. 3. 9.

catum non facit, quoniam semen eius in eo manet, & non potest peccare: quoniam ex Deo natus est.

Vndecimò. Mentionem faciens eius à quo confusus es mediatur, vel immediatè, abstinere à cognomine contumelioso, & notari ei aliquam inurente, sed si commemorandus est, commemorare tanquam amicum, & si potes, tanquam te superiorem & digniorem.

Ponderat hoc S. Chrysostomus hom. de Saule & Davide. Cum enim David Saulem, à quo querebatur ad mortem, occidere potuisset, eique pepercisset, dixit ad suos: *Proptius mihi sit Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo, Christo Domini, ut mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est. Quasi de filio, ita de hoste loquitur.*

Duodecimò. Modus silentij est, non tantum te purgare nõ debes coram iis, quos vel scis vel suspicaris fuisse causam tuarum confusionum, sed ne quidem ostendere coram iis, te eorum contra te dicta vel facta scire vel suspicari. Nam & significatio huius rei est, leuamen crucis, & aculeus hac ratione infigitur auctori confusionis tuæ, qui nollet se sciri, aut suspitioni incurere: & affligitur, si eius practicæ innotescant ei, præsertim qui ob eas passus est aliquid vel patitur.

#### CAPVT OCTAVVM.

*De ferendâ equo animo nostri accusatione ex confusionis desiderio.*

66. **A**lterum quod explicandum proposui, ad perfectè tolerandam nostri confusionis ex nostri accusatione, præsertim iniquâ, ortam, est ut iuxta præscriptum Reg. 9. & 10. Summ. æquo animo feramus nostri accusationem. Quod ut percipiamus, ab ipsis (ut ita dicam) fundamentis ponderanda sunt accuratè verba Reg. nonz, & decimæ Sum, quantum ad rem nostram faciunt. In primis Reg. 9. Sum. sic à S. Patre posita est:

67. *Ad maiorem spiritus profectum, & præcipuè ad maiorem submissionem & humilitatem propriâ contentus esse quisq; debet, ut omnes errores & defectus ipsius, & res quasq; quæ notatæ in eo & obseruatæ fuerint, Superioribus per quemuis, qui extra confessionem eas accepit, manifestentur. In quâ Regulâ tanquâ re magis momenti, ut benè intelligatur pro totâ vitâ, ad multas turbationes præcauendas aliqua sunt notanda.*

*Primo notandum est, S. Patrè præscripsisse Examinatori, ut ab eo, qui in Societatem admitti petit, hoc in particulari interrogetur: An contentus sit futuris &c. (quod verba Reg. 9. prout sunt in Sum. posita non indicant) & errores omnes &c.*

*Secundò notandum est, etiam Reg. 10. Sum. hæc delationis caritatem commendari, & de eâ ingressuros Societ. esse interrogandos, ait S. Pater in Textu Hisp. An boni consulant, ab aliis corrigi, & ad aliorum correctionem iuuare ac manifestare sese inuicem &c. præsertim vbi à Superiore fuerit ita præscriptum aut interrogatum.*

*Tercio notandum est, per Superiorem cui nostri defectus sunt ex vi Regulæ manifestandi, non intelligi (vel & in Reg. 10. Sum. & in Can. 10. Cong. 6.) Ministrum, nec Præfectum spiritus, nec Admonitorem, nisi aliunde id exigeret caritas. Quod si contingat aliquid, quod non expediat manifestare immediatè Superiore, tunc recurrendum erit ad mediatum, aut certe ad ipsum Admonitorem, nõ iam quidem ex vi Regulæ, sed ex lege caritatis in ordine ad necessariam & saluarem admonitionem.*

*Ita hoc declarauit P. Claudius P. Ludouico Michaëli Prouinciali Lugd. 27. Apr. Ann. 1610.*

*Quarò notandum est, ita Reg. 9. & 10. esse declaratas à 6. Con. Gener. Licetum esse omnibus nostris manifestare Superiore vi Patri quodcumque delictum alterius, siue leue, siue graue. Et hunc esse sensum Regulæ, tum ex illis verbis c. 4. Exam. confit. Nostros cedere cuiusque iuri fama, quod hinc manifestari oblati possit, & facultatem facere omnibus deferendi ad Superiores, quacumque de illis notata fuerint.*

*§. 2. Verba autem illa Reg. Per quemuis, qui extra confessionem ea accepit, intelligi de illis quæ ab aliquo alio notata, & obseruata fuerint, non tamen de iis, quæ ipsimet secretò, & consilij petendi gratiâ, vi dirigantur vel inuentur, alteri communicauerint.*

*§. 3. Nec opus esse Nostros expectare, ut rogentur à Superioribus, ut ea manifestent, præsertim cum verba illa (præsertim vbi à Superiore id fuerit præscriptum) satis declarant, debere eos esse paratos ad hanc manifestationem, non expectato Superioris præscripto.*

*§. 4. In delictis verò, quæ vergunt in detrimentum boni communis, aut damnum imminens tertie personæ (qualia sunt insectiua aliorum, & nocua bono Religioni, ut sunt lapsus carnis cum cõplice, feminatio discordiarum inter Fratres, surtum, impugnation, vel machinatio contra institutum, vel Superiores, præsertim Generalem, detrahendi, vel susurrandi consuetudo, & similia, non solum posse, sed etiam teneri quemq; ea manifestare Superiore vi Patri, ut prouideat secretò, & prudenter, tam bono subditis quam bono Religiosis.*

*§. 5. Quando autem prudenter iudicaretur, non posse adhiberi sufficiens remedium, quo prouideatur bono communi vel tertie personæ, nisi assumatur in eâ re officium Iudicis, tunc renebitur subditus ad denunciationem iudicalem Superiore faciendam. Quomodo autem eâ in re se gerere debeat Superior, dicitur in Instructione.*

*§. 6. Hæc quæ sancta sunt à Cong. circa Reg. 9. & 10. Sum. Nouitis ostendatur, usq; declarètur iuxta Reg. 15. Registrari Non inter alias, quæ ipsis paulatim explentur.*

*Quintò, notandum est ex P. Franc. Suar. dictiones illas quæ §. 2. Can. 10. Sextæ Cõg. positæ sunt (secretò & consilij gratiâ) sensum habere non distictum, sed copulatum, cum quia coniunctio (&) communiter illum sensum reddit, tum quia citatus Can. 10. §. 1. declarat amplissimam iuris renuntiationem, dicendo renuntiare nos cuiusque iuri fama (velut sunt verba Canonis in rextu Canonum) nostros cedere cuiusque iuri fama, quod hinc manifestationi oblati possit) cum ergo in bonum spirituale anima conditus sit, eam solum notitiam excipit, cuius vsus spiritualis bono*

homo aliquis obesse: cuiusmodi est vsus notitia ex confessione, aut ex communicatione, gratiã consilij & directionis: auerteretur siquidem homines, a quarendo animæ remedio: si talis vsus cõcederetur. Admittit ergo Regula vsum notitiæ bono modo communicatæ, atque implicate iuriam facit quamcumque promissionem, etiam iurata, de non reuelando Superiori: cum id sit contra bonos mores: immo contra primarium eius finem.

An. 1609.  
de Societ.  
Inst. c. 34.  
p. 100.  
in Rel. ad  
1. & vit.  
89.

Sexto, Notandum est, Malè P. Petrum de Ribadeneira in tractatu Hispanicè edito dixisse, Societatem non renuntiare iuri famæ, quod habet ad correctionem fraternam: scilicet ut prius quis secreto admonetur de defectibus, quàm deferatur ad Superiorem. Contrarium enim declarauit Sexta Cong. Generalis Anno 1602. 27. Martij, uti supra vidimus ex eius Canonis decimi §. 1. delumpto ex decreto 49. Sextæ Congregationis. Ante quod similiter declarauit P. Hieron. Natalis in suis notis in Constitutiones. Quod cum fecisse ex mente S. P. N. Ignatij inde patet, quia ille primus fuit, quem S. Ignatius ex Sicilia Romam euocauit Ann. 1552. ad promulgandas totã Societate, quas nuper ediderat Constitutiones, teste Or. Romam ubi venit, ab Ignatio in Professorum numerum adscribitur. Deinde prologo Constitutionum codice suum illi B. P. de iura Societate diuulgandis perferendisq; consilium exponit in Sultiamq; remittit. Ibi eas primum diuulgat, communicatq; cum Sociis, & ad actionem reuocandas sedulo curat. Anno verò 1553. e Sicilia reuersus ad Urbem, acceptis ab Ignatio monitis, Commissarij nomine 5. Idus Aprilis mittitur in Hispaniam, ut Constitutiones promulgaret, ampla cum potestate decernendi vbique, subendi, corrigendi, immutandi, quicquid è re Diuinã communiq; visum esset. Ita eius, siue prudentiã gerendi in rebus, siue scientia Instructorum multum tribuebat Ignatio. Dubium ergo esse non debet, ab ipso S. P. N. Ignatio sic esse intellectam hanc Regulam, præsertim cum eundem P. Natalem ipse S. Ignatius viuens, dum ægrotaret, fecit suum Generalem Vicarium Societatis totius, omnibus ei negotiis commissis, solã infirmorum domesticorum curã sibi referuatã, ut scribit P. Cõsalous in Diario S. Ignatij, & Orlandinus in primã parte historię Societatis.

Or. l. 13.  
pam. 7.

l. 4. n. 17.

In notis ergo P. Hieronymi Natalis in Constitutiones à me descriptis anno 1606. Romæ, hæc leguntur ad verbum: Non est, inquit, hoc nouũ, nec singulare nobis. Multa enim Statuta aliorum Ordinum similiter statuunt, ut FF. Minorum, que dicuntur Barchinonensia, & que à D. Bonauenturã, & acriter quidem illa his annis que confirmata sunt à Iul. 3. Nec S. Thomas contra hoc facit. Non enim leditur nostri Fratris fama, nam famam dedit ipse in manum Superiorum gubernandam: potius consecutus illa esse Superiorum & Societatis quàm Fratris, quandoquidem consentiit in hanc Regulam. Deinde nihil leditur fama, si sciat illud solus Superior, ut persona, que potest professe, non obesse. Ita enim intelligimus dici illi posse ante monitionem, vel applicationem testium, non ut publica

persona que possit contra illum agere iudicè. Subuenitur autem potius eius fama, & ad conuictum, ne ad testes sit veniendum, & iudicium, & ut admonitio fiat efficacior. Potest etiam illi dici, cui ipse aliqui tenetur secreta sua omnia, ut non solum nostra Regula tradidit, sed docet S. Basilius.

reg. ful.  
26.

Est etiam alia ratio, que satisficit S. Thomas. Etenim vergunt omnia secreta crimina Nostrorum, nisi Superiori pateant, in detrimentum Societatis, ubi ex vnus delicto redundat in Societatem infamia: neque enim fama vnus est pluri estimanda, quàm Vniuersitatis: nec fidendum crimen fore secretum. Facile enim hæc ad alios dimanant. Quod si hoc non timeretur, illud tamen esset apertum detrimentum Missionum Societatis, quod est primarium institutum & omnibus commune, nullus enim est qui non possit mitti. Itaque versaretur in ignorantia periculosa Superior, si non nosset secreta peccata suorum. Et quidem hoc solum nomine Regula nobis constaret ex iure communi, & inquirere de omnibus posset Superior, nomine Electionum ad Missiones ritè faciendas, & absque detrimento Societatis. Hæc cum ita sint, non sunt tamen necessaria, ut S. Thomas satisfiat. Nam idem, quasi hæc considerasset, temperat sententiam Summa: Si, inquit, videtur quod melius correctio fiat per Prælatum, Prælatus nihilominus sit pius, discretus & spiritualis, non habens rancorem, seu odium aduersus illum subditum, licet potest illi denuntiare, scilicet ad admonitionem, & tunc non dicit Ecclesia, quia non dicit ei re Prælato, sed sicut persona proficiens ad correctionem Christi & emendationem. Hæc S. Thomas: unde illud constat, per se hanc rationem seruari posse, esse accidentia, que possunt impedire. Nam accidit non esse Superiorem, qualis describitur. Et certè cum perfectã obedientiã non constat, de Superiore sinistrè sentire. Adde quod Inno. 3. in Con. Gen. Extra, de accusationibus c. Qualiter 12. proficitur, in accusatione, denuntiatione, & inquisitione, ubi contra Regulares personas agitur, ordinem communem non esse vsquequaque seruandum; quin possit facilius & liberius à suis administrationibus amoueri. Sed sat est nostras Constitutiones toties esse à Sede Apostolicã confirmatas, & à tot Patribus in Cong. Gener. reuisas & approbatas, & à quolibet Nostrorum toties receptas & acceptas, dum leguntur sexto quoque Mense in Renouatione votorum in mensa &c. Hæc P. Natalis. Sed ad hæc & alia, quæ in contrarium à Societatis Regularum iniquis Censoribus, & ab aliis aliquibus, quandoque spiritu superbiã agitatis, solent obijci, fusè respondi in alio Opusculo, de manifestandis Superiori Subditorum defectibus, non præmissa correctione fraternã.

Septimò, Notandum est, Non esse timendos falsos delatores, quia ita sancitum est in 7. Cong. Gener. Qui temerè & ex inanibus suspicionibus, vel ex alia quapiam minus probatã causa, verbo scripto salsum alteri crimen imponunt, quig; graues nostrorũ defectus occultos aliis quàm Superioribus aperiant, feuerè pro delictis qualitate puniantur. Quã in re Superiorum conscientia oneratur, ut serid in auctores inquirant, nec publicè etiam in publicis delictis pareant. Qui verò

antores manifestare recuaserint, pro auctoribus habenda eadem, pena multandi erunt. Cautam etiam Superiores, ne faciles delatoribus aures præbeant, disquirant singula, donec in delata rei cognitionem veniant, ut aut innocentem liberent, aut noxium falsumque delatorem pro rei magnitudine puniant. Diximus, quomodo nos gerere debeamus, dum accusamur de veris defectibus nostris. Nunc ponderanda sunt aliqua circa hanc Regulam nonnulla Latina & Hispanica verba.

Primo. Non tantum de veris defectibus leuibus intelligenda est, sed etiam de grauibus, ut indicat particula vniuersalis Regula: *omnes*; & declarauit Sexta Congregatio. *Leuitem esse omnibus manifestare Superiori ut Patri, quodcumque delictum alterius sine graue sit sine leue, & hanc esse sensum Regula.*

Secundo. Non tantum de defectibus Regula loquitur, sed etiam de omnibus aliis rebus. Nam præter defectus, nominantur, *Res quæcumque, quæ notata in eo & obseruata fuerint.* Vbi hæc vniuersalis, *Res quæcumque*, comprehendit omnes alias res, quæ non sint defectus, si in aliquo fuerint notata, scilicet, quomodo procedat, de quo loquatur, cum quo conuersetur, quid tractet, quæ negotia, etiam pia, suscipiat, vno verbo omnia etiam non mala, omnia etiam bona. Bona ergo consulere debemus, dum talia quoque de nobis dicuntur Superiori, & deferuntur, etiam si malo animo deferrentur, de quo nullus est condemnandus.

Tertio. Non tantum defectus, & res omnes possunt dici, notate ab eo qui defert, sed à quouis, qui extra confessionem aliquid reuelat: nã pro (*obseruata*) in Hisp. est *supere*, id est, sciuerit.

Quarto. In Hisp. ad *res quæcumque* additum est *fugas*, id est, sua.

Quinto. Etiam alij non delati de defectibus aliorum, rebusque Superiori alicui manifestatis, debent esse contenti: nam ultra verba, quæ in textu Latino sunt, in Hispanico est additum, *siendo el mismo y cada vno de los otros contento.* Talem perfectionem exigit S. Pater. Ideo contra mentem S. Patris faciunt, qui partes delati, vel accensati tuentur, & ob id turbantur. Sed quia molesti sunt falsi delatores, etiam hi studioso humilitatis, sunt æquo animo tolerandi, imò optandi, & quidem summo affectu, & tanquam res maximi momenti. Quæ de re S. Ignatius in Examine agit: ex quo accepta Regula 2 Summarij, sic statuit:

Diligenter animaduertant oportet magni faciendo, summiq; momenti id esse ducendo in conspectu Creatoris ac Domini nostri, quantopere iuuat ac conserat, ad vite spiritualis profectum, omnino & non ex parte abhorre ab omnibus, quæ mundus amat & amplectitur, & admittere & concupiscere totis viribus, quicquid Christus Dominus nosset amari & amplexus est & indui nimirum eadem veste ac insignibus Domini sui, pro ipsius amore ac reuerentiâ &c. scilicet

falsa testimonia, & iniurias pati ac sustuli haberi existimari. Circa quæ verba S. Patris notanda sunt aliqua:

Primo, simili phrasi hoc ipsum Deus declarauit S. Catharina Senensis in Dialogo: *Humilitas est, inquit, nutrita & vniuersa charitatis. Veste vero quam habet ab ipsa nutrice sua est respensio, quæ sit semetipsum opprobriis inuadendo, suscipiendo sibi, ut amplius nihil placere valeat.* Et B. Catharina Bohoniensis in tractatu Italico a se composito, de artem necessarii ad pugnam spirituales, *Crucis & aduersitates appellat Christi in signa, & vestem nuptialem.* Et B. Baptista Verana (vbi in hist. Franciscanâ scribitur) dicebat, *vestiri veste Filij Dei, esse pati mala in hoc mundo.*

Notandum est secundo, S. Patrem præscripsisse loco citato, ut in examinandis illis, qui petunt Societatem, nominatum circa hoc punctum examinentur, & vtilis id clarè dicatur: *Vnde pro, diligenter animaduertant*; in textu Hispanico, est, *es mucho de aduertes a los que se examinan: quæ verba sensum habent actiuum, & tenent se, non ex parte eorum, qui petunt Societatem, vel sunt in Societate (prout verba Latina videntur ostendere) sed spectant ad Examinatores, ut ij faciant cognoscere & aduertes, eos quos examinent, quàm sit necessarium, ad profectum spiritualem velle pati talia, & se ad ea preparare iuxta illud Eccl. 2. 1. *Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitiâ, & timore, & prepara animam tuam ad tentationem.**

Tertio, notandum est, pro, *quantopere iuuat*, Hisp. est, *en quanto grado ayuda*: hoc est, in quanto gradu iuuat.

Quarto, pro, *omnino abhorre*, in Hisp. est, in todo, id est, totaliter.

Quinto, notandum, pro, *concupiscere totis viribus*, Hisp. est, *desfear con todas las fuerças posibles*, id est, desiderare totis viribus possibilibus. Quæ omnia habet maiorem emphasim in textu Hisp. quàm Latino, quamquam in substantiâ, idem est sensus utrobique.

Nunc videndum est, cur debeamus omnes æquo animo ferre delatores, & cur præcipuo studio PP. Tertij anni hanc rem tanquam viam ad acquirendam humilitatem, & pro totâ vitâ necessariam, debeant amplecti, & bene se in eâ fundare in hoc tertio anno. Pro hac re, non possumus habere meliora motiua, nisi quæ S. Pater ipse proponit, quæ sunt duo. Primum, vniuersale, quia dicit id conducere ad maiorem in Spiritu profectum. Secundum, particulare, quia Regula 9. ait id prodelle ad maiorem *submissiua nem & humilitatem propriam.* Et quidem prodelle profectui spirituali, si defectus & res nostra Superiori detegantur certum est. Ad profectum enim primo loco necessarium est carere defectibus, his vero ut careamus, nosse eos oportet. Nam, ut Seneca bene scribit, *Inuictum salutis est nostra peccati. Nam qui se nescit peccare,*

peccare, corrigi non vult: deprehendas te oportet, antequam emendes. Et idem difficulter ad sanitatem venimus, quia nos egrotare nescimus. Deinde necesse est habere motiva ad defectus fugiendos. Vt autem eos noscamus & fugiamus per Superiores id notitiam eorum, melius, quam alia ratione assequi possumus.

Tribus enim modis cognosci possunt defectus: Primò, nostro conatu. Secundò, a qualium diligentia. Tertio, per Superiores, ut olim bene obtulerunt Nicolaus Orlandinus.

Prima Ratio eos noscendi sita est in examine & meditatione. Examen enim animæ, ut ait S. Bernardus, est conscientie speculum, in quo vitia nostra cernimus. Præcipuum, inquit, & principale speculum ad videndum Deum est animus rationalis inueniens se ipsum. Quod fit per examen & meditationem, in his enim veluti in speculo videmus bona nostra & mala, nostras necessitates, difficultates, impedimenta, pericula. Conciliatur enim his duobus Spiritus sancti lumen: quoniam S. Diadochus, lucernam cognitionis appellat: propterea quod, quidquid est in anima vitij ac tenebricosi, eius splendore deprehenditur. Sed hæc obstant, ne per nos cognoscamus bene nos; Primò, amor proprius, qui nos obæccat, & Spiritus sancti influxus impedit, idèd per nos non possumus bene cognoscere nostros defectus, impediente hac nostri philantia, uti notat S. Basiliius: Res, inquit, omnium difficillima est, seipsum noscere & curare, propterea quod natura alter se ipsum quisque amat, & quislibet, propterea quod in se ipsos propens sunt, in veritatis iudicio falluntur. Porro ab alio cognosci accuratius facile est. Vagus oculus, inquit S. Chrysologus, sua cæcus ad crimina, ad aliena errata perluet, malorum suorum nescius, alienorum est accusator & testis. Causam dat Seneca: Quia aliena vitia in oculis habemus, à tergo nostra. Aliam causam, scilicet mundi amorem, S. Diadochus: paucissimorum ait esse, suos lapsus perfecte cognoscere. Quemadmodum enim nostri corporis oculi, cum sani sunt, cuncta possunt cernere, etiam cutices in aere volitantes; cum verò turbati sunt, aut humore quodam suffuso sepi, si quid in eorum aspectum incurrat grande, hoc tenuiter cernunt, minuta verò non sentiunt; sic anima si ardorem ex cupiditate mundi collatum studiose resistit, & valde parua errata pro grauisimò ducens, lachrymas multas, cum multa gratiarum actione, continenter Deo offert. Iusti enim, inquit, consuebantur nomini tuo: contra verò si perseveret in cupiditate mundi, cum quid est ad eadem pertinens, aut aliud quid magno dignum supplicio, sentit illa quidem sensim, alia verò errata ne significari quidem sibi vult: immò sepe nimero in virtutibus ea ducit, & pro eorum defensione non pudet miseram oratione vii vehementi.

Et S. Bernardus tr. de vitâ solitaria: Sicut in corpore solet fieri (melius enim corpus hominis ab alio videtur quam se ipsum videat) in huiusmodi nos sepe melius videt alienus oculus, quam nos, & alius qui non est pariter in seruire eiusdem voluntatis, rector sepe

index est actionis: quia sepe vel negligentia vel primato amore nostri erramus in nobis. Bona ergo custos est voluntatis obedientia, siue imperij illa sit, siue consilij, siue subiectionis: siue solus charitatis.

Tertio, obstat locordia nostra, nam non omnes adhibent studium se discutiendi, & in suos defectus inquirendi semper, quia, ut ait Seneca, torquet animam sollicitudo sui ipsius inquisitio atque ob-

seruatio. Quarto, nec Deus vult nos per nos instrui, sed per homines; sicut & fidei, quæ est humane salutis initium, fundamentum & radix omnis iustificationis (prout appellatur à Concilio Tridentino) etiam posset per se, communiter tamen non docet, sed per homines. Idèd ad Rom. 10. 16. Fides dicitur esse ex audita. Idèd & Paulum initio non per se, sed per Ananiam voluit instrui. Et Cornelium non per se, sed per Petrum. Quod etiam postea fecit Deus semper ferè. Hinc cum sanctus Senex quidam in sacrificio, in quo ei Angeli apparebant, verbis in oblatione sacrâ ab Hæreticis instructus videretur, & de hoc errato ex ignorantia orto, ab alio seruo Dei esset monitus, exoptulans cum Angelis, quod eius non indicassent erratum, dixerunt illi Angeli: Deus ita disposuit ut homines ab hominibus corrigantur.

Quintò, quia facilis nos credimus vitis laborare, si ea etiam alij in nobis aduertant, & nos commonefaciant. Hinc & Dauid melius agnouit & desieuit peccatum suum, non æquè bene antea, atque dum esset monitus à Propheta Nathan.

Melius est ergo moneri ab alijs, sed multò melius moneri à Superioribus, quam ab æqualibus: Primò, quia æquales non audebunt iranos monere, ne odium incurrant. Veritas enim odium parit. Secundò, quia viri quieti sibi attendunt correctionem verò aliorum Superiori relinquant, & sic se excusant à faciendâ, & ab omitta correctione. Tertio, quia parum prodest indicare morbum, nisi curetur. Curatio autem non ad æqualem, sed ad Superiorem spectat, quem veteres Patres vocant Medicum Subditorum. Idèd Sanctus Basiliius peccatorum reuelationem iis præcipit faciendam qui mederi nonunt, quemadmodum & morborum. Quibus autem non egrotat in hac vitâ, quis non longum languorem trahit: nasci in hoc corpore mortali, incipere egrotare est, ait Sanctus Augustinus. Quarto, quia ea quæ à Superioribus corriguntur magis inhaerent memoriæ ob reuerentiam erga eos, & eorum autoritatem, qualem æquales non habent apud nos. Quintò, dimi scimus non deesse eos, qui Superioribus nostra deferant, cautius videmus, ne quid committamus delatione dignum, & ita iacturam faciamus apud Superiores & bonæ opinionis & gratiæ: quæ cautio in officio nos continet, & non esset, si certi essemus, nos non admonendos per Superiores nostros & corrigendos. Vnde

de internoti do. mo. c. 13.

70.

let. 139.

1. de ita

cap. 13.

col. 14.

71. sess. 6. c. 8.

Act. 9.

Act. 10.

In prato

spirituali

cap. 199.

2. Reg. 12.

72.

Cl. Alex.

1. 7. stro.

Orig. h. 1.

in Pf. 37.

S. Naz. or.

1. nu. 26.

S. Aug.

1. 50. h. 12.

S. Bern. 1.

de vit. fol.

S. Bas. reg.

bren. 229.

S. Aug. in

pl. 102.

de fit, vt conemur rectè loqui, rectè viuere, & allinescimus ad vitam irreprehensibilem. Consuetudo autem, vt Plutarchus ait, etiam non sentientes, ad rectam vitæ rationem errorisque expertem sensim adducit. Quapropter sapienter olim Scipio Nafica, deletis Carthaginensibus, & in seruitutem redactis Achæis; Nunc, inquit, periculosa res nostra sunt, quia neque quos metuamus, neque quos reuerentur, reliquos nobis fecimus. Atque ita benè monet Seneca: aliquè habeat animo oportet quem reueretur. Hæc de vniuersali motiuo.

ep. 10.

73. Secundum motiuum particulare ad ferendos æquo animo delatores, à Sancto Patre Ignatio allatum Regula 9. est, Maior submissio & humilitas propria, quam assequuntur, qui æquo animo accusationes ferunt. Magnum est hoc motiuum, & quod solum sufficere deberet, siue, quia humilitas est contentrix omnium virtutum, quam honorum sequitur copiosissimum veluti quoddam examen, vt ait S. Basilius, siue quia est tanquam terra, ex qua crescit & nutritur arbor charitatis, producens flores virtutum, & fructus gratiæ in animâ, vt Deus Pater dixit Sanctæ Catharinæ Senensî in Dial. cap. 10. siue quia humilitas est ad eò coniuncta cum obedientiâ, quam etiam nutrit, vt tantum sit aliquis Obediens, quantum est humilis, & e contra, vt in eodem Dial. cap. 154. dixit Deus addens, humilitatis esse fororem patientiam inuitam, & hanc patientiam esse medullam charitatis, ac signum euidentis, & aperitè demonstratiuum, quod anima sit in gratiâ consistens in Deo, & Deum per gratiam in se habens, vt Deus ipse, his ipsis verbis id explicauit Sanctæ Catharinæ. Denique quia iuxta mensuram humilitatis in quouis iusto, & prorsus adæquatâ mensurâ est perfectio sanctitatis, & erit in cælo, gloriæ beatificæ. Hinc in sermone, quem Angelus ore suo Sanctæ Brigittæ dictauit, quia inter omnes Angelos & homines Maria est inuenta humillima, idè super omnia que creata sunt facta est sublimissima, omniumq; pulcherrima, atque ipsi Deo super omnes simillima. Simili ratione Deus B. Angelam de Fulginiò docuit, vti habetur cap. 19. fin. eius vitæ: Quando anima magis afflictâ & depauperata & humiliata est interioris, tantò magis aperitur & purgatur & purificatur, vt magis eleuetur, quia nulla anima potest aliter, nec plus eleuari, nisi quam humiliatur, & profundius in humilitate complantatur & radicatur. Quæ omnia cum sint summè excellentia & desiderabilia, equissimo animo ferendi sunt delatores; qui sunt causa tantorum bonorum, ex humilitate, quam causant, proueniunt. Nihil enim ita elationis nobis innatæ, & actibus malis confirmatæ spiritus demittit vt cum vitia nostra delata sunt. Quia turpitudine vitij pudorem incutit, pudor modestiam atque humilitatem parit. Vt enim erigimur, cum benefacta virtutesque nostræ celebrantur, & altos spiritus colligimus; ita cum nostra vitia erroreque notantur, humilio-

74. in dial. c. 10. &amp; 154.

cap. 1.

res reddimur. Pudet autem nos maximè, non tam quia nostra vitia ceteri vident, quam quia vident acrius, vt obseruauit Climacus: istud, inquit, cum humiliari nollemus mirabilis dispositione fecit Deus, vt nemo vitia sua melius quam proximus possit intueri, ex quo necessario fit vt illi ac Deo, non nobis ipsi sanctitatis gratiam acceptam referamus. Idem que laudat Abbatem quendam Alexandrinum, qui exercendæ humilitatis gratiâ, eos quibus præerat probis & increpationibus onerabat. Ideo Sanctus Bernardus increpationem, seu reprehensionem, cum fimo comparat agris, vt vtili; Neesse, inquit, interdum habeo circumfodere, quandoquidem posuerim me custodem & cultorem in vineis, neesse habeo & apponere stercorem, molestum id quidem, sed dissimulare non audeo; sciens multo amplius nocituram securum, quam sarcinulam ignem, quam funum. Itaque & arguere & increpare interdum neesse est: ne ignoro funum esse verbum increpationum, verbum improprietatis, & quod si non exiisset necessitas, ipsum quoque decet minus proferentem. Suprà autem dixerat: stercorea hac planè vitia ad aspectum, sed ad fructum vitibus, non refugiat hanc seditatem, qui secunditatem desiderat; siquidem ex deformi stercore aceruo, qui portatur in agrum, formosus surget aceruus manipulorum, qui reportatur ex agro. Propterea S. Franciscus dedecora & probra expebat, laudes declinabat: qui si ob concionem laudaretur ab aliquo, iubebat statim locum, vt vituperaret eum. Malebat, inquit S. Bonauentura, de se vituperium audire, quam laudem, sciens quod hoc ad emendandum induceret, illa impelleret ad cadendum. Difficultas autem ferendæ æquo animo delationis, ad quatuor capita reuocari potest:

Primum caput est, qui defertur, contentus quisque esse debet &c.

Secundum, ad rem quæ defertur; Errores & defectus & res quæcumque notata &c.

Tertium ad deferentem, per quemuis, qui extra Confessionem eas accipit.

Quartum ad eum ad quem defertur. Superiori manifestetur.

Quoad primam difficultatem; Innatum id videtur naturæ nostræ corruptæ, agrè ferre delationes. Nam, vt ait Saluianus Episcopus de vero iudicio & prouidentia Dei, omnes admodum se laudari volunt: nulli grata reprehensio est, immò quod peius multò est, quilibet malus, quilibet perditus, maualt mendaciter prædicari, quam iure reprehendi; & falsarum laudum decipi, irrisionibus, quam saluberrimâ admonitione seruari.

Prima radix autem omnis molestiæ ex admonitione susceptrâ, intima quædam superbia est, quâ & suam quisque culpam studet occultare, propter eius dedecus ac turpitudinem, & nemo alteri patitur se esse subiectum, cum admonendi officium præstantiam quandam & excellentiam habeat: ex quo fit vt nemo nisi humilis, vel superbiam humilitatis studio dep-

primens, reprehensionem, admonitionemque & delationem sui, seu accusationem moderatè ferat, & è contra. Nam, vt bene ait S. Climacus, *Qui reprehensionem à se exciuit, superbia se morbo laborare significat: qui verò illam admittit, pestis eius vinculo solutus est.* Idèd cùm Propheta à Deo missus ad Amariam Regem in Hierusalem; ei diceret: *Cur adorasti Deos, qui non liberauerunt populum suum de manu tuâ?* ille respondit: *Num Consiliarius Regis es: quiesce ne interficiam te.* Nolens ferre admonitionem iustam, quia superbus erat. Dauid verò humilitate plenus, & qui de se dicebat: *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulauit in magnis, neque in mirabilibus super me,* postquam sui peccati admonitus est à Propheta Nathan, humillimè respondit: *Peccauit Dominus.*

*Secunda radix* huius primæ difficultatis esse solet, personæ delatæ conditio, quæ si auctoritatem aliquam habeat, vel ab ætate, vel à dignitate, vel ab opinione virtutis & doctrinæ, magis sentiet delationis dedecus, quàm si his careat. Regula autem neminem excipit: omnes includit: *Contentus esse quisque.* Sanè in Societate nemini patitur ex Societate: & plerumque Superiores sapientiùs quàm alij accusantur, & à mediis admonentur, vel corriguntur frequentius, quàm dum priuatam vitam sine vilo regimine ducerent. Nam, vt obseruauit Sanctus Pater Noster Ignatius, *Quoniam curam aliorum habent, inuisitè calumniam à multis pari variis ob causas possunt.* Experiuntur hoc omnes Superiores, maxime ij, qui sine respectu personarum, ab omnibus exigunt obseruationem Regularum. Quàdo B. Pater Realinus erat sine regimine, laudabatur ab omnibus; quando fiebat Vice-Rector, querelis etiam Romani scriptis impetebatur. Has & ipse S. Pater passus est, vt is volens cedere, & ex humilitate putans eos rectè sentire de suo regimine, quasi non bono, conuocatis Patribus præcipuis, ex omnibus Prouincijs Anno 1550. Generalatum resignare voluit, vti scribitur in eius vitâ à Ribadeneira; et si occasio huius eius conatus reticetur, sed mihi, qui per sex annos Auditor Patris Orlandini in colligendâ materiâ, pro primâ parte historiæ Societatis ab eo conscripsit, fuit, & qui habui scripturas Archiuji in mea manu, quoad totum tempus, quo Sanctus Ignatius gubernauit, res hæc nota est; & cùm meo tempore esset indagata, tempore Clementis VIII. valdè solata est Patrem Claudium Generalem, à multis nostris discipulis grauitè accusatum, apud Clementem VIII. & ab eo hanc ob causam exagitatum. Ergo etiam Superiores æquo animo ferre debent, si falsò deferantur: omnes verò, quia omnes se solent verbis humiliare, & ceteris peiores dicere. Sed multis hoc accidit, quod notauit sanctus Gregorius. *Multos inquit, nouimus qui nullo arguente sese peccatores consentent, cùm verò de culpâ suâ for-*

*tasse fuerint correpti, defensionis patrocinium querunt.* Superbia autem vitium est, vt idem in quâdam Hom. ait, vt quod de se sateri quisque quasi sponte dignatur, hoc sibi ab alijs dei dedignetur. Similia de talium fictâ humilitate scribit Sanctus Ambrosius: *Multi habent humilitatis speciem, virtutem non habent, multi eam foris præferunt, ad veritatem aburrant, ad gratiam negant.* Et Sanctus Hieronymus: *Humilitatem sequere, non qua ostenditur, atque simulatur gestu corporis, aut fractâ voce verborum, sed qua puro affectu cordis exprimitur.* Qui ergo verè humilis est, æquo animo ferit delatores, & difficultatem, quam hac in re patit eius personæ conditio superat studio acquirendæ vel confirmandæ perpetuæ humilitatis.

*Secundum caput* difficultatis, quæ in hoc genere sentitur, est in re quæ sentitur, idque quatuor nominibus: Primò, quia putantur deferri tantquam criminosa, quæ non tam voluntate quàm casu accidunt, vt sunt errores. Secundò, quia adferuntur ea, quæ peccati dedecus habent adiunctum; vt sunt defectus. Tertio, quia adferuntur, quæ nil mali habent, vt sunt arcana, quæ resciri nolumus. Quarto, quod hæc non casu & fortuitò notantur, sed additâ operâ, & studiosè.

Hæc difficultas tollitur, Primò, si teneamur ardenti studio nostri profectus. Qui enim perdiscendarum artium amore flagrant, cupiunt corrigi, si quâ in re delinquant, quod olim faciebat Apelles, qui opera sua exponebat in pergulâ, & post tabulam stando notabat vitia, quæ transeuntes improbant, vt ait Plinius. Et quidem inter profectus nostri iudicia, hoc Plutarchus de suæ virt. prof. sent. enumerat, si quis peccatum suum vel ipsemet damnare & castigare instituat, vel alio castigante tolerantem se præbeat, vitiusque exonerari correctoris operâ se libenter sinat. Et Sanctus Bernardus: *Si verè mundari desiderare, non irritentur, sed habeant eis gratiam, qui illis suas maculas demonstrant.*

*Secundò*, minuitur hæc difficultas, si meminerimus Regulæ 32. Summarij desumptæ ex 4. parte Const. ca. 10. §. 5. quâ iubemur, nil clausum Superiori tenere, ne conscientiam quidem propriam. Particula autem negatiua (*nil*) includit omnia; ita vt nil profus velimus Superioribus esse occultum, ac proinde vt æquo animo feramus dici ei omnia nostra.

*Tertio* à simili; si in sæculo mercede conductum patiebamur motum vitæ quæ nostræ Custodem & Cenforem, quando non ita tenebamur esse perfecti, cur tot Fratres gratis nos, ex desiderio boni nostri, deferentes non admittamus?

*Quarto*, cùm, vt ait Sanctus Bernardus in Pl. *Qui habitat, homines aliquando cadere necesse est, dum in hoc sæculo detinentur, superbiæ vitio, & quidem magno, ille non caret, si quis aut culpæ se*

78.

81.

1. Par. 2. f.

v. 15. 16.

Psal. 130.

1. Reg.

11. 13.

79.

p. 9. Cõst.

cap. 4.

lit. e. in

decl.

14. c. 5.

Mor. 12.

cap. 14.

80.

lib. 2. ep.

42.

ep. 14. ad

Celsant.

L. 35. nat.

hist. c. 10.

ser. 4. de

Adu. Do.

81.

serm. 2.

h. 67. ad  
pop.

putat expertem, aut talem se videri velit. Ut enim ait Chrysostomus; Non potest malus, omnino malus esse sed aliquid habet boni: neque bonus esse omnino, sed & nonnulla solet habere peccata.

Quintò, oportet nos meminisse promissi, & Societati & Deo toties facti, de proposito in meditationibus & communionibus. Regularum obseruatione, ac proinde de obseruatione Regula 9. quæ vult nos esse contentos, dum nostri defectus, & res quæcunque deferentur; non ergo displiceat modò id, quod antea placuit, dum feruenter in Nouitiatu uiueremus.

82.  
l. 4. c. 36.

Nam, ut ait Cassianus, *satis miserum est, ut cum debeas a rudimentis ac primordiis prouehi*, & ad perfectionem tendere, etiam ab ipsis incipias, ad inferiora recedere. Non enim qui cepit hæc, sed qui perseverauerit in his usque ad finem, hic saluus erit.

Math.  
10. 24.

Reuocandæ ergo sunt in memoriam nostri Tirotinij resolutiones, in quibus ex Dei amore & nostri odio optabamus omnia nostro amori contraria, præsertim pati sinistra iudicia & accusationes nostri, & reprehensiones & confusiones: prout est harum rerum renouata recordatio. *Anima*, inquit Climacus, *quæ viriliter pugnare cepit, rursusq; debilitata cesserit, antiqua virtutis & studij memoria, quasi quodam stimulo ac flagello vulneratur, atque ex hoc nonnunquam plurimi pristinum vigorem receperunt, prioresq; pennas resumunt.*

83.  
g. 1.

Tertium caput difficultatis est, ex parte eorum, qui nos deferunt, idque tribus nominibus. *Primò*, quia prodi ab iis quodammodò nos putamus, dum contra fidem & iustitiam indicare nos Superioribus malunt, & quodammodò traducere, quam per seipsos monere: vnde Proverbiorum 11. dicitur, *qui fraudulenter ambulat, reuelat arcana; qui autem fidelis est, celat amici commissum*; proinde speciem fraudis habet talis delatio. Sed hoc non debet nos turbare: nec enim accusandus est is, quòd non fuerit ausus nos libere & sine ambagibus monere, putauitque id muneri ad Superiorem potius quam ad se pertinere.

*Secundò*, turbat nos, quia delator noster rem videtur amplificare, & pro suo sensu interpretari, aut rem totam confingere, siue errore iudicij, siue studio mentiendi. Sed neque hoc debet nos mouere: *Primò*, quia nec Superiores omnia credunt, experti non semel & se & alios iniquè delatos. *Secundò*, quia sæpè nobis videmur innocentes, qui tum verè non sumus, & id agnosceremus, si nostra sine ostentatione inspiceremus, verùm amor nostri cæcos nos reddit.

84.

Nam, ut Sanctus Basilius ait in Reg. breu. inter, trecentessimâ primâ, respondens ad illud, *Conscientia me non reprehendit; Hoc accidere etiam in morbis corporis, siquidem multi sunt morbi, quos non sentiunt qui in illis sunt. Verumtamen ij maiorem adhibent fidem medicorum peritiæ, quam suo ipsorum stu-*

pori. Similiter etiam in morbis animi, peccatis videlicet, licet quis seipsum non reprehendat, quòd peccatum suum non sentiat, nihilominus tamen adhibere fidem is debet, qui res eius peruidere melius possit, quam ipse. Quod animaduertimus factum fuisse ab Apostolis, quo tempore, cum de sua erga Dominum sincera animi affectione nihil dubitantes, dici sibi audiuissent: *Vnus ex vobis me tradet; maiorem Domini verbis quam conscientia sue auctoritatem tribuerunt, altercabanturq; ac dicebant: Nunquid ego sum Dominus?*

Mat. 26.

Amor itaque nostri obfuscat iudicium veri, quòd patet, quia vbi ab amore nostri paulatim discesserimus, agnoscimus culpam, quam antea non agnoscebamus.

*Tertio*, esto, falsam esse delationem, molesta tamen esse non debet, quia utilis, tum quia testimonium conscientia nos valdè solatur, & ut ait Sanctus Bonaventura de Infor. Nouit. Seruus p. 1. cap. 6.

*Dei non timet confusionem coram hominibus, vbi eam coram Deo conscientia non accusat.* tum quia cautiore efficiuntur in posterum, ne incidamus in id, cuius insulamur, quòd fortè aliquando potuisset accidere, nisi cautio fuisset adhibita: tum quia iniquis delationibus perferendis exerceamus patientiam, ob quam peccata condonat nobis Deus, qui in tempore tribulationis peccata dimittit. Exerceamus etiam humilitatem, dum nos morè Sanctorum non excusamus, ut Paphnutius apud Cassianum tacuit, cum ei falsò

85.

Iob. 34.  
86.

furtum codicis obiceretur: *exerceamus etiam charitatem, dum falsis accusatoribus non succensemus, sed prois oramus; exerceamus spem in Deum, qui sæpè innocentiam feruorum suorum detegit, ut Paphnutij, cuius innocentiam detexit diabolus oblesso corpore calumniatoris proclamans, à se proiectum codicem in cellam Paphnutij ex inuidiâ, ut pro fure haberetur. Meritò ergo idem de iniquâ delatione æquo animo toleratâ, quòd de detractore dicit S. Bonaventura de Infor. Nouit, quia & pugnantius excitata magnæ utilitatis est, quia est purgatio peccati, vitij lima, exercitatio virtutis, meritum gloriae, preparatio pacis &c.*

Coll. 11.  
cap. 11.

Ex eodem capite oritur difficultas, quia nequaquam nobis persuadere possumus, cum, qui detulit, studio charitatis adductum, non potius alienatione animi, propter aliquam offensionem, vel commodum, vel aucupandam Superioris gratiam nos accusasse, vel ob probitatis opinionem.

*Sed Primò*, non est temerè suspicandum, multò minùs iudicandum. *Secundò*, tolletur hæc alienatio à delatore, si ores pro eo, qui ad tui emendationem operam contulerit & occasionem meriti præbuerit. Sic faciebat bonus ille Religiosus, qui, ut legitur, pro omnibus à quibus monebatur, orabat. Si autem inuidiæ spiritu te accusauit, ora nihilominus iuxta Christi consilium tanquam pro inimico, & veniam impetres inuidentiæ. *Tertio*, sit licet delator impulsus affectu

88.

in spec.  
dic. 3. c.  
40.

Aut inordinato ad accusationem tui, tamen dū defert, nunquam non vitiosus est, eo ferè modo quo, vt obferuat Plutarchus de capiendâ vilitate ex inimicis politici inimici, suis nobis sunt criminatioibus salutare, idque ostendit pulchro simili. Nam Iasoni Theffalo vomica doloribus laboranti, dū inimicus vultus infligit, continuo eius vlcus aperuit, vnde virtus erupit, & consecuta pro nece salus est, pro morte vita. Ita & delator dum malignè deferendo vult, vel putat, obesse, certam salutem adfert, aperiendis vitiis vlcibus spirituali medico.

Quocirca dicere solitus est Aristhenes, etiam qui saluus esse debeat opus habere vel probis amicis, vel inimicis vehementissimis, quod illi admonendo, hi criminando à vitis auertant. Quà de re egregie S. Chrysol. Tomo. i. hom. de periculis Spectaculorum; Cum nos, inquit, peccata nostra non videamus, ob amorem nostri nobis infum. hostes, quia propter odium ea melius quam nos perspicimus, reprobando nos ad correctionis necessitatem impellunt, & illorum malevolentia nobis cedit ad maximam vilitatem non ob id tantum, quod per illos admoniti intelligimus errata nostra, sed quod ea deponimus quoque. Idcirco Deus, qui etiam ex malis bona elicit, & mala non nisi ex amore feruorum suorum permittit in vilitatem eorum, permittit quoque inter Religiosos offensunculas intercedere, quæ ad inquirenda aliena vitia & deferenda propè trahant, & inde aliena vitia curantur.

Hoc ferè modo cum S. Monicam matrem S. Augustini, adhuc puellulam, in ira ancilla quadam increpans, & consuetudinem biffestrandi in eâ improbanz, Meribibulam appellasset, eo sapiens puella percussa stimulo, respexit satisfactionem suam, statimq; damnauit atque exiit. Ita Deus de alterius animæ infamia sanauit alteram, vt loquitur Augustinus. Pari modo, si quis iniquo animo alterum deferat, sanat, etiam si id non intendat.

Quartum caput difficultatum in delatione nostri, oritur ex parte eius ad quem res nostræ deferuntur. Primo enim veremur, ne si nostra de nobis opinio in Superioris mente gignatur, aut confirmetur antiqua, aut etiam augeatur: quia enim à Superiore post Deum toti pendemus, maximè nostrâ interesse putamus, si bene sentiat de nobis. Cuius signum est, quod etsi error noster aliis pateat si ad Superiorem delatus non sit, non multum laboramus. Secundo, quia acriter nos interdum Superior obiurgat & punit, sed nihil est, quod his nominibus delata res nos torqueat. Primo, quia si pœnas libenter feramus, spe correctionis ostensa, opinionem nostram, si quam de nobis habuit Superior, deponet, scit enim nos homines esse, & iuxta dictum Terentij: Nil ab homine erroribus obnoxio, à nobis esse alienum, quocirca si nos humiles & patientes

viderit, augebit potius quam minuet bonam de nobis opinionem. Et melius virtutem subditi agnoscat ex Confessione delicti, quam ex reliquis bene factis tempore prosperitatis. Si quid ergo de opinione virtutis detraxit delatio, id humili confessione & patientiã sarcitur. Secundo, parum refert bonum apud homines nomen, si malè audias apud cœlites & Deum: & si pudeat tuam ab hominibus resciri culpam, magis pudeat in conspectu Dei & Angelorum eam esse contractam. Notum ergo velis esse Superiori, quod Diuina iam notum est Maiestati, præsertim cum ea facile Superioris admonitione & tuâ submissione placetur. Tertio, Equum est existimare Superiorem in obiurgando & imponendâ pœnâ præcipitem non esse, neque nimis credulum delatoribus se præbere. Quarto, Etsi acriter Superior obiurgat, id vt à Patre proficitur, & nostræ salutis cupido, atque vt à Medico vlcus sciendæ, ideo gratum esse debet. Turpe est autem, vt ait S. Basil. in Acteticis, eos qui corporibus egrotant, tantum habere fidei Medicum, vt siue vrantur, siue incidantur, siue amarum pharmacum sanentur, pro benefactoribus eos habeant, non verò nos eodem praditos esse affectu erga eos, qui nostras animas curant, si quando per laboriosam curandam rationem nostram salutem studiose procurent. Et S. Bonauent. Quando, inquit, nimis austerè vel minus iuste de aliquo arguuntur, non turbentur animo, sed potius per Fratrum diligentiam circa ipsos, qui quos amant, arguunt & castigant, & exercitio virtutis oblato in Domino gaudeant. Sed si verum agnoscere velimus, harum omnium difficultatum radix est superbia, quæ reprehensionis dedecus horret, & peccatum celatum vellet, ne quid de existimatione perdat, quæ aperta superbia est, velle haberi qualis non est, aut nolle haberi qualis est. Rectè enim S. Marcus Anachoreta; Cum, inquit, videris aliquem in multâ ignominia dolentem, scias eum ambitionis cogitationibus impletum. Nam, vt ait S. Diadochus; Anime Deum amanti proprium est, gloriam Dei semper querere, & suâ submissione delectari, vt per eam familiares Deo efficiamur. Quod si fecerimus exemplo Ioannis Baptistæ, incipimus dicere sine intermissione vlla: illum oportet crescere, me autem minui.

## CAPVT NONVM.

Motiva ad ferendos a quo animo nostri accusatores, & nostræ Confusionis Authores.

Nunc videndum est cur debeamus omnes a quo animo ferre delatores, & cur præcipuo studio omnes, hanc rem, tanquam viam ad humilitatem acquirendam, & pro totâ vitâ necessariam, debeant complecti, & benè se in eâ fundare.

Pro

Pro hac re non possumus habere meliora motiua, quàm illa quæ S. Pater ipse proponit, quæ sunt duo: Primum Vniuersale, quia dicit id conducere ad maiorem in spiritu profectum. Secundum particulare, quia Regula 9. ait, id prodesse ad maiorem submissionem & humilitatem propriam.

Et quidem prodesse profectui spirituali, si defectus & res nostræ Superiori detegantur, certum est. Ad profectum enim primo loco necessarium est, carere defectibus: his vero ut careamus, nosse eos oportet. Nam, ut Seneca bene scribit, *Initium salutis est notitia peccati. Nam qui se nescit peccare, corrigi non vult: deprehendas te oportet antequam emendes. Et ideo difficulter ad sanitatem venimus, quia nos agrotare nescimus.* Deinde necesse est habere motiua ad defectus fugiendos. Ut autem eos noscamus & fugiamus per Superiores id notitiam eorum melius, quàm aliâ ratione assequi possumus. Quanquam sæpe Superiores, Deo excitante, ad iuuandos magis in spiritu alios, siue per se, siue per aliorum accusationes sumptâ occasione, confundunt aliquos, & quasi credentes quæ audierunt, & si verè non credunt, improbant, & reprehendunt accusatores, eos ut puriores, Deoque magis gratos reddant. Quod nulli debet esse molestum de se demissè sentienti.

91.  
ep. 28. &  
60. ex B.  
pi&cto.

92.  
gr. 4. col.  
6.

Extat apud S. Iohannem Climacum præclarum hac de re exemplum, & S. cuiusdam Abbatis doctrina. Nam cum Dispensatorem Monasterij pudicum & moderatum ac mitem inuectus esset (spe Etante Iohanne Climaco) absque vllâ causa, & de Ecclesiâ cum eici inisset, & Climacus eius innocentiam commendaret. Scio, inquit Abbas, esse innocentem, sed sicut crudele est ex ore famelici infantis manibus panem rapere, ita & seipsum & operarium ladit, qui animas suscipit regendas, nisi illi coronas, quantas illum sustinere posse nouit, horis singulis providere sat agit: siue per contumelias, siue per ignominias, siue per obrecciones, siue per ludibria. Tria enim maxime cauenda committit. Primum, quod ipse increpationis mercede priuatur. Secundum, quod aliis ex alterius virtute perdere possit id agere omisit. Tertium verò quod est grauissimum, quod nō nunquam qui videntur esse probatissimi, & laboris patientissimi, si ad tempus negligantur, atque iam ut virtutibus præditi à Prælato non corrigantur, siue probis siue iniuriis afficiantur, ea que in eis inerant modestia ac tolerantia destituerentur. Nam etsi bona & frugifera pinguis terra est, consuevit tamen aque, id est ignominie defectus illam infructuosam ac siluestrem efficere, spinasq; fornicationis & noxiæ securitatis in eâ germinare. Hæc S. Iohannes Climacus.

Quocirca quamuis sine vllâ culpâ nostrâ accusaremur Prælato, & ab eo acerbâ reprehensione vel alio modo confunderemur, id propter utilitates commemoratas iniquo ferre animo non deberemus, imò ne sentire quidem, uti optabat S. Franciscus (to. 3. bibl. SS. PP. inter

03.

opus. eius) dicens: *Beatus seruus, qui disciplinam, accusationem, & reprehensionem ita patienter ab aliquo sustinet, sicut à semetipso. Beatus seruus, qui reprehensus benigne acquiescit, veracunde obtemperat, humiliter confitetur, libenter satisfacit. Beatus seruus, qui non est velox ad se excusandum: & humiliter sustinet verecundiam & reprehensionem de peccato, ubi non commisit culpam.* Hæc S. Franciscus.

Secundum motiui particulare ad ferendos equo animo delatores à S. P. Ignatio allatū Reg. 9. est, *Maior submissio & humilitas propria, quam allequatur qui æquo animo accusationes ferunt.* Magnum est hoc motiuum, & quod solum sufficere debet: siue quia humilitas est contentis omnium virtutum, & quam honorum sequitur copiosissimum veluti quoddam examen, ut ait S. Basilius, siue, quia est tanquam terra, ex quâ crescit & nutritur arbor charitatis, producens flores virtutum & fructus gratiæ in animâ, ut Deus Pater dixit S. Catharinæ Senensi; siue quia humilitas est adeo coniuncta cum obedientiâ, quam etiam nutrit, ut tantum sit aliquis obediens, quantum & humilis, & è contra, ut in eodem Dialogo, c. 254. dixit Deus, addens, *humilitatis sororem esse patientiam inuicem, & hanc patientiam esse medullam caritatis, ac signum euidentis, & aperte demonstratiuum, quod anima sit in gratiâ consistens in Deo, & Deum per gratiam in se habens, uti Deus ipse his ipsis verbis id explicauit S. Catharinæ.*

Simili ratione Dens B. Angelam de Fulgino docuit, uti habetur c. 19. eius vitæ: *quanto anima magis afflictâ & depauperata, & humiliata est interioris, tanto magis apratur, & purgatur & purificatur, ut magis alleuetur, quia nulla anima potest aliter, nec plus eleuari nisi quantum humiliatur & profundius in humilitate complanatur & radicatur.* Quæ omnia cum sint summè excellentia & deiderabilia, æquissimo animo ferendi tunc delatores, qui sunt causa tantorum honorum, ex humilitate, quam causant, proueniunt. Nil enim ita elationis nobis innatæ, & actibus malis confirmatæ, spiritus demittit, ut cum vitia nostra notata sunt. Quia turpitudine vitij pudorem incutit, pudor modestiam & humilitatem parit. Vt enim erigimur cum benefacta virtuteque nostræ celebrantur, & altos spiritus colligimus, ita cum nostra vitia erroreque notantur humiles reddimur. Hinc cum S. Petrus à S. Paulo reprehensus esset in faciem, tacuit, non excusauit se, quia humilis fuit. Quod ponderans, S. Gregorius Papa: *Tacuit, inquit, Petrus, ut qui primus erat in Apostolatus culmine, primus esset in humilitate.* Et S. Aug. Rarius, ait, *& sanctius exemplum (Petrus) posteris præbuit, quod non dedignaretur sibi sorte relictâ tramitem reliquissent, etiam à Posterioribus corrigi, quàm Paulus, quod confidenter etiam minores maioribus pro defendendâ Euangelicâ veritate, salutâ fraternâ caritate, resistere.*

Sed si verum agnoscere velimus, harum omnium difficultatum radix est & origo superbia, quæ

quæ culpæ seu peccatis reprehensionis dedecus horret, & peccatum celatum vellet, ne quid de existimatione perdat; quæ aperta superbia est, haberi qualis non est, aut nolle haberi qualis est.

97. Alluescamus ergo ferrè æquo animo delatores primò, in paruis rebus, quales ordinariè accidunt, deinde maiores æquo animo feremus calumnias, falsa testimonia iniurias; prout in Reg. 11. Summar. S. Pater præscribit: nam à faciliioribus ad difficiliora gradus est. Ita fecit prudens ille & S. Pater in VV. Patrum. Qui cum possèt verba maledica bubulcorum propulsa, maluit forti tolerare animo, quò maioribus perferendis iniuriis sese minorum exercitatione alluescaceret. Idem fecit & S. P. Ignatius, qui se à puero quodam præciter irrideri permittit, & vt id faceret ante illum constitit; longioribus se eius exponens ludibriis, & cum quidam suadetet, vt se conspectui maledici pueri subduceret; Sinamus, inquit, eum ex hoc mei ludibrio & irrisione capere materiam solatij.

Idem factum à P. Paschasio Broet vno è primis S. Ignatij scribit Sacchinus: Cum rediret Belonio Lutetiam, iter habebat pedes, Beltrando Roserio comite (qui id scriptum reliquit) per agrum in quo demetendus frugibus ad triginta homines opus faciebant. Hi continuo panno, ium conspicati senem, ludibrio habere coeperunt, & onerare conuiciis, simulatorem inter cetera deceptoremq; magnis vocibus appellantes. Quem ad verborum sonitum, quasi ad incandam symphoniam, baculo suo innixus, vt audis auribus omnem exciperet, constitit Pater, nec gressum mouit, quoad illi satietate parcimq; pudore sinem fecere. Tum verd Paschasiu erigens se, placidissimòq; vultu messoris, quasi de beneficio grates acturus, intuens; Deus, inquit, vobis benignè faciat, filij, ac benedicas: eaque dicens manu simul Crucis salutare signum ad benedicendum expressit. Non tulere tam insolitam mansuetudinem quamuis rustica pectora. Diceres vim continuo bona famuli Dei precatationis seruasse. Exemplo velut atomi ad eius circumfusi pedes, veniam precantes, se iniquos conuiciatores, illum virum reuerè sanctum depradicant. Sicut ergo ij publicam contumeliam æquo tulerunt animo, feramus nos occultas nostri delationes, si & valdè proficere in spiritu, & nominatim in humilitate optamus. vtrumque enim S. Patet nos assilucatos sponddit Regu. 9. & 10. Summatij.

98. Hæc spe allectus P. Petrus Faber, vt scribitur in eius vitâ, non modo in suis ipse reprehendis & castigandis erratis frequens & multus erat, quod paucorum admodum est, sed, quod longè paucissimorum, ea quoque reprehendi & carpi volebat ab alijs, omni non modo personarum ac temporum, verum etiam modi ac rerum quæ in reprehensionem caderent definitione sublata, non solum vt Superiorum aut equalium, verum etiam vt inferiorum reprehensiones sibi duceret expectandas: nec solum certi cuiuspiam errati, vel noxia, sed

erratorum omnium atque nozarum; siue ea vera essent, siue conficta, nec tum modò, cum tacitè aut vbertate Spiritus amènus esset, verum etiam tum cum esset in tristitiâ atque egestate. Quin ipsi quoque reprehendis modum in reprehendis potestate volebat esse postum, vt eam potissimum adhiberet, si collibitum esset, qui maximè vreret & incenderet. Tantum in reprehendis lasere boni, bonus, & sui boni cupidus, intellexit. Optabat autem vt in eis ferendis & admittendis, non tam modum reprehendis ac verba, quæ deicendi vim habent, attenderet, quàm reprehendis vitiatatem ac fractum, quæ mores corrigit ac emendat. Neque tenebat oculos ad reprehendis modum retrahendos, sed in emendationis curam figendos. Multos enim existimabat dum modum spectant, nec in se habent, vnde animum in reprehendis solentur, vni oburgationis succumbere: qui verd aut habent, aut habere se putant, vnde animum consolentur ac placent, eos ferre sedatis placidissimè, castigationis autem.

Concludam hoc Opusculum salutari doctrinâ, & diuinitus traditâ, & Deo ipso dictante ac iubente conscriptâ Italicè à B. Angelâ de Fulgino, magna sanctitatis feminâ, Ordinis Minorum, in cuius vitâ Latinè editâ ab Arnolddo c. 60. hæc leguntur. Post explicatam primam Christi sociam, scilicet paupertatem summam, quam coluit; secunda, inquit, societas, à quâ continuo Iesus Dei filius quamdiu vixit fuit associatus, extitit voluntarius & perfectus contemptus, deiectio & ignominia & verecundia, quam voluit in hoc mundo tolerare. Vixit enim sicut seruus deiectus, & venditus, & non redemptus, & non tantum sicut seruus, sed sicut seruus, qui malus reputatur & iniquus. Fuit enim exilatus & opprobriatus, derisus, ligatus, verberatus, fustigatus, flagellatus, & tandem sine ratione, sine defensore, sicut vilis & miserabilis, cum iniquis & latronibus deputatus, & cum eis condemnatus & mortuus morte turpissima & deiectâ. Et dum viueret, si quando aliquis voluisset sibi inferre honorem temporalem, semper contraxit aut verbis aut factis, & honorem mundi semper fugit, & verecundias semper tolerauit, & libenti animo acceptauit, non dando ex parte suâ occasionem nec causam. Et post multa exempla allata ex Christi vitâ, expressè sic concludit, & quid nobis faciendum sit docet:

Heu, pro dolor! inquit, quæ persona inuenitur hodie, quæ diligit talem societatem, vt scilicet fugiat honorem & diligit verecundiam, quæ habetur propter paupertatem, humilem statum, humile officium & cetera humilia, nec quæ velit esse annihilata, deiecta & contempta & c. Sed inueniuntur multi, quorum quilibet dicit: Ego diligo & quero diligere Deum, & non curo, si mundus non faciat mihi honorem, sed nolo, quod faciat mihi verecundiam, nec volo esse deiectus, nec vituperatus, nec confusionem in mundi presentia recipere. Sed istud est signum manifestum parua fidei, & parua iustitiæ, & parui amoris, & magne tepiditatis. Quia vel commisi illud propter quod est dignus sustinere confusionem & penam & verecundiam, de quo

paucis

pauci se possunt iuste excusare, vel non commisit: si non commisit propter opera sua manifesta vel absconsa, debet sustinere: si verè sit penitens, cum patientiâ, imò etiam cum placimento animæ & corporis, & hoc duabus rationibus: Primò, quia illa verecundiâ, & confusio, & pœna, quam sustinet cum patientiâ satisfaciit Deo & proximo secundùm voluntatem Diuine Iustitiæ. Si verò non commisit mala opera debet portare & tolerare omnem verecundiâ & confusionem (si Deus permiserit) & hic in centuplum cum maiori patientiâ & gaudio quàm primo modo, quia illa pœna & illa confusio, & verecundiâ tota ponitur in augmentum gratiæ. Crescente autem merito gratiæ, crescit donum & premium gloriæ, & sic procul dubio cum toleratiõne verecundiæ & confusiois, qua adueniunt absque culpâ hominis, crescunt & proficiunt anima sancta, & amici Dei. Idem Christus deleuit verecundiâ & fugit honorem, ut doceret amicos suos, quomodo possent crescere in merito & gratiâ. Ista igitur societas secunda fuit continuè cum vitâ Christi. Si enim volumus videre bene principium, medium, & finem ultimum vitæ Chri-

sti, Filij Dei, totum fuit humilitas, & in mundo viuere sine honore, & despectus, & reprobatus à mundo, & ab illis qui diligunt mundum. Hæc B. Angela diuinitus edoceta, de amandâ confusione scripta reliquit. Cùm autem à S.P.N. Ignatio edoceri simus, concupiscere totis viribus possibilibus contumelias, falsa testimonia & iniurias, ac stulti haberi & existimari; & talia summi esse momenti ad vitæ spiritualis profectum, tenemur iuxta exempla, & antiqua, & recentia nostrorum Sanctorum optare, & quantum licet ac permittitur, querere, & factis ac dictis exhibere, nostri confusionem, & contemptum, & abiectionem politicorum delicatorum Religiosorum dictaminibus, à stylo & vitâ Sanctorum omnium alienis, non erubescere Evangelium: sed Christi quoque exemplo, pro eius amore confundi, quoniam ex amore nostri fide Diuinâ credimus eum, tot confusionibus plenam, sustinisse crucem, confusione contempti: ut ait Apostolus in Epistolâ ad Hebræos cap. 12. 2.

